



AYUNTAMIENTO  
DE MURCIA  
ARCHIVO

EST<sup>E</sup>

11

TAB<sup>A</sup>

A

N.<sup>o</sup>

2

*Manuscrito de la Corona*

ESTE EJEMPLAR,  
POR SU TAMAÑO Y/O  
ESTADO DE CONSERVACIÓN  
**NO SE PUEDE FOTOCOPIAR**

Acuerdo Comisión de Gobierno: 27 octubre, 1988



S. AVRELIO <sup>10<sup>o</sup></sup>  
AVGVSTINO  
HIPPONENSI EPISCOPO  
SERMONES ALIQVOT

Adscripti

EX CELEBERRIMIS

*Bibliothecis Vaticana, & Barberina excerpti.*

Studio, & opera

IOANNIS BAPTISTÆ MARI  
PRESBYTERI ROMANI I.V.D.

ET COLLEGIATÆ ECCLESIAE S. ANGELI  
IN FORO PISCIVM CANONICI,

*Nunc primùm in lucem editi, & quibusdam notis  
illustrati.*



R. 9564.

ROMÆ, Apud Franciscum Monetam. MDCXXXIV.

SUPERIORVM PERMISSV.




Lib. 1. de  
Spir. sancto  
cap. 19.

Rupertus Abbas cum ipso loquens  
Augustino ita cecinit.

*Mentitur qui te totum legisse fatetur.*

studio, & opera







EMINENTISSIMO,  
AC REVERENDISSIMO  
PRINCIPI  
FRANCISCO  
BARBERINO  
S. R. E. CARDINALI  
VICECANCELLARIO.

*IOANNES BAPTISTA MARVS. F.*



**P**RIMOS ingenij mei  
partus, Eminentissi-  
sime Princeps, tibi  
dedicare visum est  
multis titulis, tum  
quia imbecilles sūt,  
vtpotè recens luci expositi, tum





quia singularis omnium in litteris  
conari volentium es patronus, tùm  
denique, quia profectum ex instru-  
ctissima tua Bibliotheca fructum,  
ad te redire decuit. Si tua benigni-  
tate, quod spero, alantur hæ pri-  
mitiæ tutæ erunt, & fauoris tui ele-  
mentis alendæ, robustioribus im-  
posterum nervis assurgent. Vale.

B A R B E R I M O

S. R. E. C A R D I N A L I

V I C E C A M E R A L I

I O H A N N E S B A P T I S T A S A L V E R I

K I M O S I N G U L A R I S  
O M N I U M I N L I T T E R I S  
C O N A R I V O L E N T I U M E S  
P A T R O N U S T U M D E N I Q U E  
Q U I A P R O F E C T U M E X I N S T R U -  
C T I S S I M A T U A B I B L I O T H E C A  
F R U C T U M A D T E R E D I R E  
D E C U I T S I T U A B E N I G N I -  
T A T E Q U O D S P E R O A L A N T U R  
H A E P R I M I T I A E T U T A E  
E R U N T & F A U O R I S T U I  
E L E M E N T I S A L E N D A E  
R O B U S T I O R I B U S I M -  
P O S T E R U M N E R V I S A S S U R -  
G E N T V A L E



LE-



# I V D I C I V M

Admodum R. P.

## MELCHIORIS INCHOFER SOCIETATIS IESV THEOLOGI, VIRI DOCTISSIMI,

Et Sacrae Congregationis Indicis Consultoris,  
quod priuatim Authore requirente tulit.

**Q**UOS mihi Sermones ostendisti, Eruditissime  
Domine Ioannes Baptista Mari, Diuo Augu-  
stino, ut aiebas, à plerisque adscriptos, vidi,  
iterumque consideravi. Fateor varios esse, ac  
facile cuiusuis arguti cognitoris iudicium in varios as-  
sensus eorū lectione flecti posse: Neque tamen eiusmodi  
sunt, quos degenerare à varia Sancti Doctoris erudi-  
tione affirmare ausim, quin verò plurimā eius, & inge-  
nij, & styli imaginem subinde referre nō negarim. Tu ū  
erit, si publico iuri dare volueris eruditione tua illu-  
strando, quemadmodum egregiè tuis notis facis, ma-  
iorem illis fidem conciliare. Addet auctoritatem Emi-  
nentissimi Cardinalis Francisci Barberini plusquam  
Philadelphia Bibliotheca, ex qua eos, ex vetusto, ut  
asseris, & penè detricto m. s. Codice descripsisti: Procul  
enim dubio in ea non seruantur monumenta, nisi, quae  
omnium opinioni respondeant: quod & nos in nostris  
lucubrationibus experti sumus, non pauca ex eadem  
Gaza, humanitate tanti Patroni, & unici eruditorum  
Mecœnatis, in nostra, ut sic dicam, retrimenta transf-  
ferentes. Matè ergo animi utere hoc iure, utere  
occasione, utere eruditione tua, & Augustinum Augu-  
stino



*Etino reddens, illa, quam erga tantum Doctorem profi-  
teris, discipuli obseruantia in publica luce tuere, & ma-  
iora etiam aude. Vale.*



*Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Sac.  
Palatij Apost. Magistro.*

*A. Sacratu Episc. Comaclen. Vicesg.*



*Imprimatur.*

*Fr. Hyacinthus Serronius Mag. & Soc. Reueren-  
diss. Pat. Fr. Michaelis Mazarini Sacri Palatij  
Apostolici Mag. Ord. Prædic.*

**D. GA.**



D. GASPARIS ROSCETTI  
SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS,  
AC COLLEGIATAE ECCLESIAE S. ANGELI.

In foro Piscium Canonici.

EPIGRAMMA

**V**INDICE te, seros annis voluentibus orbes  
Insperata sacri lux micat eloquij.  
Nimirum è superis fundit noua lumina regnis,  
Olim qui superi luminis instar erat.  
Nascitur at sacrae per te facundia linguae:  
Tuque obscura orbi lumina restituis.  
Fœlix, tanta olim peperit qui lumina. Fœlix,  
Qui reparas partu lumina tanta noua.



D. FRANCISCI POLINI

I. V. DOCTORIS.

ECCLESIAE COLLEGIATAE S. ANGELI;

In foro Piscium Canonici.

EPIGRAMMA

**R**ISISTI, & merito risisti, cum maris undas  
Infans exigua clauderet in fouea.  
Sunt eadem, Augustine, tibi, nec inania vota,  
Qui rubri claudis, hic decora alta maris.  
Emersit per te, Mari, hac sacra pagina; tempus  
Non tua letheis nomina merget aquis.

IN-



# INDEX SERMONVM.

- Sermo I. **I**N natali SS. Martyrum, qui dicti sunt  
Massa Candida. pag. 1.
- II. In natali Plurimorum Martyrum. 10.
- III. In natali Plurimorum Martyrum. 19.
- IV. In Sabb. ante Primam Dominicam Qua-  
dragesime. 25.
- V. De Theophania. 33.
- VI. De Epiphania. 37.
- VII. In die Pentecostes. 40.
- VIII. In natali S. Ioannis Baptiste. 42.



# LECTORI.



VOTIES mente, aut manu, Maximi Doctōris Augustini opera verso, toties subit non solum variè à sæculis tanti viri iactata doctrina, verùm etiam ambigua de eiusdem lucubrationibus controuersia. Ac quod spectat ad doctrinam: Ea non solum initio à Manichæis, Donatistis, alijsque Hæreticis fuit, licet infœliciter, impugnata, sed etiam ab ijs, qui in Gallia Catholici videri volebant exagitata, immò reiecta, vt opere prætium fuerit Prosperum, atque Fulgentium eius discipulos strenue Magistrum suum defendere, & vmbromaticos impugnatores solidè compefcere: nec minor postea consequentibus sæculis fuit concertatio de diuersis articulis, ac præcipuè de iustitia primi hominis, de statu paruulorum, de gratia, & prædestina-



stinatione Sanctorum ; de libero arbitrio , alijsque id genus ad illuminandum hominis intellectum , & mouendum ad bonum voluntatem medijs spectantibus , in varias semper distracta Sancti Doctoris sententia interpretantium opiniones ; quibus tamen Romanorum Pontificum atque in primis Coelestini auctoritas modum posuit , & sinceram Augustini mentem eatenus interpretata est , vt merito ille Magistri Gratię nomen retulerit . Taceo plurima , quę & superiori seculo disputata sunt diuersis in Scholis . Et recentium etiam temporum cursu , repullulare cœperunt . Quę quidem omnia doctrinam concernentia , cum ad nostrum institutum minus faciant , ijs , ad quos spectat , relinquimus . Quod autem attinet ad discernendas eiusdem Doctoris lucubrationes , quemadmodum facilis fuit dubitandi labor , ita pronior apud plerosque disceptatio , quidnam operum in tam vasta copia , vel reijcerent , vel verè Augusti-  
 ni



ni esse affirmarent. Occasionem haud  
 inanem videtur suffecisse ipsemet Augu-  
 stinus. Nam & si iam grandis ætate, sua  
 ipse scripta recognoscere instituerit, ea-  
 que de causa Episcopatu se abdicare om-  
 ninò fixum habuerit, morte tamen præ-  
 uentus, plurima ad limam non reuoca-  
 uit, & eorum, quæ relegit, & correxit,  
 siue perfecit, duos Retractationū libellos  
 edidit. Quo factum, vt quæ in his con-  
 tinentur, genuina Augustini esse credan-  
 tur, multa alia verò possim omnium arbitrio  
 variè ventilentur. Quæ res non minimo  
 sanè sacræ rei litterariæ malo est. Nec  
 vsquam videas in vllius alterius Sancto-  
 rum Patrum scripta, tot vngues impactos  
 vt in opera S. Augustini: Et rem magnam  
 quilibet se præstitisse existimat dum tra-  
 ctatum aliquem ex non retractatis eius  
 esse, vel asserat, vel neget, idque tot fere  
 signis, & argumentis, quot cuique licet  
 pro genio excogitare, vel fingere. Possi-  
 dius, qui vitam Augustini ex primis scri-  
 ptis



psit in eius quoque libris censendis vexillum tulit; Pluresque alij varijs temporibus interuallo consequuti; recentius Parisienses, Sixtus Senensis, mox Doctores Louanienses, ex professo in ijs, versati, deinde in parte Baronius, posthunc Bellarminus denique, vt plures taceam, qui siue vitam Sancti Doctoris scripserunt, siue Catalogos librorum eiusdem texuerunt, recentissimus omnium postea, quod sciam, Symon Vuerlinus ordinis Canonorum S. Augustini, etiam apices nedum verba, & stylum rimatus est Censoria feuerius, quam fortasse par sit usus.

Porro id ab initio Sancti Doctoris operibus accidit, vt non pauci tractatus, qui aliorum essent, studio Discipulorum eidem adscriberentur, siue quia non discernent in tam vasta tractatione siue, quia inter eius lucubrationes reposita, inuenirentur, de quibus consulendæ tum aliorum, tum Bellarminij præcipuè, atque etiam Vuerlini obseruationes: quibus accedunt quidam



dam alij, qui quædam alia S. Augustini argumenta Sancto Fulgentio adscribunt. Alij etiam alia siue adiudicarunt, siue proscripserunt; nullibi tamen maior illata vastitas, quàm in Tomo secundo, & nono, sed omnium maxima in Tomo decimo, in quem Sermones vniuersim omnes cõiecti sunt: ex quibus sanè, vel si nulla ratio habeatur Sermonum ad Fratres de Eremito plerunque reiectorum, & Augustini eruditione indignorum; plures exploserunt Doctores Louanienses, è cõtrario nõ paucos alios dederunt Parisienses; denique Iacobus Sirmondus Societatis Iesu solita diligentia nuper ex tenebris in lucem numero quadraginta asseruit. Rectè etiam à diuersis obseruatum est, nõnullos Sermones dignos illos quidem esse, sed non Augustini, verùm Fulgentij, Leonis, Ambrosij, Maximi Taurinensis, Chrysologi, Cæsarei Arelatensis, & aliorum, qui tamen Discipulorum opera inter genuinos Augustini repositi sunt.

† †

Maiori



Maiori etiam successu temporis, aliorum  
 negligentia, qui non paucos Sermones  
 minus fœlici imitatione suo Marte com-  
 positos, inter S. Augustini lucubrationes  
 reposuerunt, & posteris fucum fecerunt,  
 vt verè S. Augustini esse putarentur. Hinc  
 factum, vt sæpè eadem in diuersis non suo  
 loco repeterentur, multorum fragmenta  
 tantùm extarent, quæ vel ex Augustino  
 derepta sunt, vel certè alieno stylo elabo-  
 rata, Augustineis affuta, vt interim Cen-  
 tonem quemdam multiformem, stylo,  
 elocutione, phrasi denique inepta, vide-  
 re liceat. Ex quibus tamen, si zizania à  
 tritico facilè dignoscas, an ipsum triticum  
 Augustini sit etiam dubitaueris. Id causæ  
 fuerit, vt non pauci Sermonum, maiorum  
 diligentia seiuncti, cùm diù lucem non  
 vidissent, post sæcula reperti, laborem  
 facessuerint; quia perindè cum granis  
 zizania coaceruata in libris manuscriptis  
 asseruarentur. Ex ijs plures refert, vt vi-  
 debis infra, Codex manuscriptus, qui ad

manus



manus nostras humanitate D. Caroli Mo-  
roni Basilicæ S. Laurentij in Damaso Ca-  
nonici venit, quique pro sua in studia sa-  
crarum Litterarum erudita propensione,  
ex Eminentissimi D. Cardinalis Barberi-  
ni Bibliotheca, reconditis omnis generis  
scriptorum, & hætenùs non visis monu-  
mentis referta, nobis Codicem, de quo  
diximus, ultra cõmunicavit bono publico  
proferendum. Peruetustus ille quidem,  
vt detritis vetustate characteribus pœnè  
oculorum aciem effugiat: sunt verò ij de-  
scripti partim titulo vacantes, partim Au-  
gustini nomen præferentes; quorum non  
nulla, etsi facilè cognoscas Augustini esse,  
ex ijs tamen, qui titulo vacant, vix affirma-  
re audeas aliud, quàm ita visum fuisse ijs,  
qui eosdem cæteris Augustini Sermoni-  
bus coniunxerunt, quamuis si ad plura  
aspicias longè abludent; Eos nihilominus  
ne quid Lector desiderare possit, hìc in-  
serimus, eiusdem iudicio permittentes,  
quid præter nostras notas illis addi posse



iudicet. Ut verò non nihil consuleremus claritati, subindè aliquod verbū, aut etiam phrasim correximus: Interdum verò, vbi sensus pœnitus obscurus, & ex constructione à Sancti Doctoris mente pœnitus alienus videbatur, lacunam reliquimus. Præter eos verò, quos dictus Codex habet, tres alios initio exhibemus, quos ex m. f. Codice S. Mariæ ad Martyres dudum antequam ad Vaticanam Bibliothecam migrassent exscriptos, in nostris sacrorum monumentis seruauimus. Meminit eorum Baronius in notis ad diem 24. Augusti, & præcipuè ad primam Nouembris, & nulla in contrarium nota, quemadmodum & dictus Codex, Augustino attribuit. Nec mirum, si Possidio, Victori Vticensi, & alijs credimus, infinitam propemodum fuisse multitudinem tractatum, homiliarumque S. Doctoris. Scimus Louanienses testari, difficile esse, de singulis Sermonibus certum ferre iudicium, sint ne verè genuini S. Augustini, an sup-



posititij, in quibus censendis approbandisque auctoritatem præferunt cuiusdam viri Doctissimi. Idem nobis facere liceret in his, quæ pro re nata edimus, nisi Lectoris iudicio vti mallems, vt ipse suaptè diligentia discernat, quid verè Augustino tribuendum, quid illi abiudicandum censeat. In qua re haud tamen consultum videtur, imò deceptioni proximum est, si ex minutijs quibusuis, interdum verò, vel ex verbo peregrino, aut minus compta dictione iudicet alienum ab ingenio Augustini partum, vt Cresconium Grammaticum agere videatur, qui cùm non haberet aliud dignum oppositum, Augustino insultauit, quòd à Donato Donatistas, non Donatianos dixerit; quasi continuò reijciendus sit Sermo à S. Augustini eruditione, qui subinde verbum aliquod minus solens præferat. In quo genere sanè nimia fuit, nec necessaria diligentia cuiusdam recentioris, vt leuissima de causa, & persæpè vnius phra-



sis mutatione, vel diuersa alibi repetitione spurios reputarit Sermones, neque Augustino dignos; quasi non alia fuisset discernendi nota, si ita agendum erat, quàm in his minutijs ineptè venandis, cuiusmodi cum rarus tractatus S. Doctoris non habeat, facilè hoc censore abiudicandus erit, vt iam quicquid Augustini genuinum est, in paucos, nec adeo iustos libros compingi possit; Vt omnittam non pauca illum notare, quaqua tandem animi præceptione, quæ Ecclesia Romana Augustini nomine in Breuiario Romano recitanda proposuit.

Cæterum his missis, antequàm ea promamus, quæ ex Codice m. f. Barberino excerptimus, præmittemus tres supradictos Sermones Codicis S. Mariæ ad Martyres, nunc Bibliothecæ Vaticanæ: quos si iam alicubi luci datos Lector offenderit, quod etiam de cæteris dictum putamus, vel certè alij, quàm Augustino adscribendos censuerit, nihil præiudicamus; fin,

minus,




minus, eò gratiorem horum lectionem  
 accipiat, quòd ab interitu post tot sæcula  
 vindicati, nunc demum sub oculos ve-  
 niant. Atque vtinam semel omnia pro-  
 deant, quæ in tam vasta S. Doctõris eru-  
 ditione variè dissipata, & distracta cum  
 tineis, & blattis conflictantur, nec nisi  
 sæculorum interuallo, in tanta rerum vi-  
 cissitudine emergunt, nisi etiam plura  
 mutatis sæpè latebris perierunt. Si quid  
 porrò mendii in his librariorum incuria  
 irrepsit, ita obducimus, vt tamen alicubi  
 hiulcam, & hiantem orationem explere  
 non liberet, ne Augustinum, si is loqui-  
 tur, non suo ore dicentem audiremus.  
 Addimus etiam quasdam notas, & velut  
 scholia ijs explicandis, quæ aut dubia, aut  
 obscura videntur, ex quibus etiam indicia  
 esse queant de mente S. Augustini, vel  
 certè non longè ab eius sententia remoto  
 argumento. Quòd si laborem nostrum,  
 tametsi exilem, te probare Lector intelle-  
 xerimus, breui maiora, & vt opinamur,  
 tibi



tibi non ingrata vulgabimur. Interim his  
fruere, & Vale.

SER





# S E R M O

## S. A V G V S T I N I

### E P I S C O P I.

Ex Cod. m. s. Bibliothecæ Vaticanæ. Citatur à Baronio in not. ad Martyrol. die 24. Aug. & prima Nouembris.



**D**ILECTISSIMI Fratres, Natalem Martyrum celebramus, quorū <sup>1</sup> multitudo Massam <sup>2</sup> splendorem candidā <sup>3</sup> fecit: Massa enim dicta est propter numerum, candida propter meritum. Nam quid aliud Massa candida, nisi multitudo intelligenda est martyrio candidata? sicuti modo cum Apocalypsis legeretur audiuius, quia vidit Beatus Discipulus, & Apostolus, qui Christi solebat discumbere super pectus, Martyrum turbas candida veste fulgentes, & <sup>4</sup> palmis virentibus triumphantes; & quod foeliciter vidit, nobis <sup>5</sup> foeliciter indicauit. Ait enim, sicut modò audiuius: <sup>6</sup> *Vidi, & ecce multitudo quasi numerum arenae, quam dinumerare nemo potest, vel poterat, ex omni populo & tribubus, & linguis, 7 vestiti omnes candidas vestes, & palmæ in manibus eorum.* Vestis candida significat innocentiam; <sup>8</sup> Palmæ victoriam. Et ait <sup>9</sup> de senioribus ad Ioannem: *Isti qui sunt, & unde venerunt?* At Ioannes respondit: *Domine tu scis:* Ille autem, qui eum in

*In Natali SS. Martyrum qui dicti sunt Massa Candida.*

*Apoc. 7.*

A Do-



Domino interrogauerat vt doceret, ait: *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. Qualis sanguis, fratres? Lauat sanguis iste, non maculat; habet quidem ruborem, sed tamen non potest maculare candorem. Mirum est hoc, Dilectissimi: illius sanguis est, de quo dicit sponsa eius in Canticis Canticorum: Frater meus candidus, & rubicundus. Ille nulla se iniquitatis nocte fuscauit. Quare? quia crucem immaculatus ascendit. Quæris quare? Audi Euangelistam: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Vide Massam, & intellige hanc feminis causam. Massa hæc, fratres, sicut audistis, ex omni populo, & tribubus, & linguis ex vtroq. sexu, & ex omni ætate collecta est.<sup>10</sup> Non senes annis, nõ vergentibus fructum marcescente iugulo tremula ceruice subtraxit.<sup>11</sup> Non anus sexu, ætate confecta, dextram cruenti percussoris effudit: non iuuenes à Corona, vitæ huius dulcedo reuocauit: non expirantium membra palpitantium paruulorum<sup>12</sup> cruētus perhorruit. Sed si qui forsitan infantum maternis vberibus inhiantes ferrum potuerunt persequentis euadere; oppressi ruina cadauerum, maternos inter dulces obierunt complexus; omnes in illo certamine coronauit, qui omnem redemit ætatem. Qualis tunc rerum species, dilectissimi,<sup>13</sup> quàm cruenta ætas, & perquam videbatur miserenda, & horrenda cernentibus! Sed prætiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Vultis ergo nosse, quàm pretiosa sit? Recolite quomodo nobis in Apostolica Epistola legeretur: Propterea, inquit,<sup>14</sup> nõ confunditur de his Deus voca-*

Cant 5.

Ioan. 12.

Ad Hebr. 11.



ri Deus eorum; Præparauit enim illis Ciuitatem .  
 O si videre possemus , quando erat de eorum truci-  
 datione in terris tanta tristitia , quanta fuerit in illa  
 cælesti Ciuitate lætitia , cū istis Martyribus ad  
 Cælum vno agmine tendentibus Ciues illius beatæ  
 Ciuitatis , hoc est , millia occurrerunt Angelorum !  
 O si videre possemus Martyres istos ,<sup>15</sup> corpora re-  
 linquentes , tanquam lutearum domorum tecta  
 calcantes ! Et nos ergo , dilectissimi Domino , facia-  
 mus in Cælo gaudium Angelis sanctis : Sancti etiam  
 Martyres debent gaudere de nobis , quia non ces-  
 sant orare pro nobis . Sed quādo de nobis gaudent ?  
<sup>16</sup> quando eos , quos veneramur , imitamur . <sup>17</sup> Sic  
 enim volunt solemnitates suas celebrari conuenti-  
 bus nostris , <sup>18</sup> vt eorum pietatem lætificemur mori-  
 bus nostris . Per eum qui viuit , & regnat in sæcula  
 sæculorum . Amen .

---

N O T A .

**E**ST hic Sermo de quadam innumerabili multitudine  
 Sanctorum Martyrum , qui dicti sunt *Massa Candida* ,  
 & vt in præsentī fas est credere , de illis Sanctis Martyribus  
 Carthaginiensibus , qui *Massa Cādida* nuncupati sunt , de qua  
 etiam habuit idem S. Augustinus alium Sermonem Tom. 10  
 Serm. 112. de diuers. quorum memoriam recolere potiori  
 titulo ad ipsum spectabat . Argumenti tractatio similis in  
 quampluribus alijs Sermonibus , & Commentarijs Augu-  
 stinum sapit , nec quia Dilectissimi vocabulo , nō verò Cha-  
 rissimi vtatur , ideo abiudicandus est , vt non nemo nimis  
 emundè censuerit .

¶ *Massa* ob multitudinem ] Sic Tom. 10. Serm. 119. dixit  
*Sanctorum Massam* , ob eandem causam : Sicut enim  
*Massa* fit ex multis granis frumenti molitis , & farina aqua  
 subacta ; ita Martyres isti complures , & instar frumenti



per eadem germinantis, & per tormenta contriti, nec non aqua tribulationum subacti, in Massam coaluerunt candidam.

2 Splendorem ] Lego splendore :

3 Candidam fecit ] Propter meritum ex gratia, & splendorem gloriæ, qui merito respondet. Vide Bellinum & Alexandrum de Peregrinis in antiquo Martyrol. Rom. ad 24. Augusti. Gloria siquidem splendor quidam est, adeoque candor lucis æternæ. Vnde Tertull. lib. 4. aduers. Marc. *Candidam salutis*, pro gloria salutis vsurpat; & noster Augustinus Serm. 112. de diuers. de hac Massa Candida loquens, *Si causa*, inquit, *candida, & Massa candida est*. Candida quidem de causæ fulgore, siue intelligas de causa efficienti, quæ est gratia semen gloriæ; siue potius de causa finali, quæ est ipsa gloria, splendor, vt dicebamus, lucis æternæ. Martyrologium Romanum recentius ad 24. Augusti, & Baronius ad ann. Christi 261. num. 49. alia similitudine huius Massæ Candidæ significatum explicant; quod nempe in calcaria fornace crematorum Martyrum cineres calci permixti in vnam candidam Massam conflati sint, similitudine sumpta ab auro, quod in plures, & minutas particulas diuisum, si in fornace igni admoueat, paulatim colliquefcens in Massam vnam coalescit. Sic enim verò Martyres isti aureæ indolis per martyrium ignis ab omni scoria defœcati, & excocti, in purissimam auri massam efformati sunt.

Est sanè hæc appellatio perantiqua Martyrum nomenclatura. Quam bis in Martyrologio Romano vsurpatam obseruamus, semel de Martyribus Carthaginienfibus, de quibus præfens Sermo est; iterum de Cæsaraugustanis. De primis sic habet Martyrologium Romanum supradicta die 24. Augusti. *Carthagine Sanctorum trecentorum Martyrum tempore Valeriani, & Gallieni, qui inter alia, supplicia, cum Præses fornacem calcariam accendi iussisset, & in præsentia eius prunas cum thure exhiberi, atque illis dixisset: Eligite è duobus vnum, aut thura super his carbonibus offerte Ioui, aut in calcem demergimini: fide armati, Christum Dei Filium confitentes, ictu rapidissimo*  
se



se iniecerunt in ignem, & inter vapores calcis in pulverem sunt redacti. Ex quo candidatus ille Beatorum exercitus Massa candida meruit appellari. Ipse enim pulvis Sanctorum permixtus proxima Massæ in vnum coalescentis materia erat. Quo tamen anno passi sint, ignoratur: at quoniam à Prudentio, hymno 13. de Sancto Cypriano, tum ab alijs, eius rei gestæ historia adiungitur simul Martyrio Sanctissimi Cypriani, non abs re erit, iudicare passionem eorum contigisse anno Domini 261. vt refert Baronius hoc eodem anno, Octaua nimirum persecutione, quæ fuit sub Valeriano, & Gallieno. Horum verò solemnitas, cum Vticæ præcipuè ageretur, ea de causa idem Sanctus Augustinus Sermone 115. de diuers. Massam Candidam Vticensem quoque dictam refert. An autem eadem ipsa sit, de qua Baronius loquitur, dubitari fortasse possit. Nam cum de hac Carthaginensi ageret alibi Sanctus Augustinus, nempe in Psalmo 49. ante med. Martyres recenset supra centenos tres tantum, & quinquaginta, qui Massæ nomen tulerunt. Baronius verò cum Martyrologio trecentos numerat; & arguit mendum in Codice Augustini: idque probabilius censendum, quando, & Pontius Diaconus in actis Sancti Cypriani, & cum Romano Martyrologio plures in ea re conueniant.

De secunda verò Massa Cæsaragustana Sanctorum Martyrum, qui sub impijsimo Daciano Hispaniarum Præsidente passi sunt, hæc habet Martyrologium Romanum, & Vsuarius die tertia Nouembris. *Cæsaragustæ Sanctorum innumerabilium Martyrum, qui sub Daciano Hispaniarum Præsidente mirabiliter occubuerunt pro Christo. Cum enim Dacianus (inquiunt Vincentius Belu. & Equilinus lib. 10. cap. 17.) videret, quòd quanto plus conabatur Christianos extinguere, tanto magis eorum multiplicabatur fides, & Collegium augebatur, simulata pace Ecclesijs reddita, misit edictum fictè, vt Christianis latentibus liceret suis legibus uti. Quibus ad publicum prodeuntibus, & Christum laudantibus, eorum multitudine in prædicta Ciuitate conueniente, congregauit exercitum Paganorum, ianuasque Urbis claudi iussit, ne quis eorum euaderet.*  
Omnes



Omnes itaque Christianos ibidem repertos, armati Gentiles ex abditis exeuntes gladijs trucidarunt: Corpora vero in acervos maximos collecta combusserunt, & Cineres inventum disperferunt. Cæterum mirabili Dei providentia effectum, ut Cineres dispersi cum longè candidiores alijs terreis cineribus apparerent, ideò discerni, & colligi, in unamque Massam candidam redigi potuerint, quæ ideò nomen meruit, hodiequè in plures globos formata Cæsaraugustæ servatur in Templo Diuæ Encratidis, quod Sancta-sanctorum nuncupatur, ob tantorum pignorum reuerentiam. Attestatur & Breuiarium Cæsaraugustanum in lectione sexta his verbis. *Sed diuino nutu sic separata sunt, ut Martyrum Cineres veluti frumenti candida Massa, in portiunculas conglobati fuerint, alijs vento spargendis remanentibus; visunturque hodie Massarum candidi globi nitorem sanguineum sacrarum Victimarum aperte demonstrantes.* De iisdem eleganter cecinit Prudent. hymn. 7 Peristeph. dum de Cæsaraugustana Ciuitate agit.

*Vix parens Orbis populosa Pœni,  
Ipsa Vix Roma in folio locata,  
Te decus nostrum superare in isto  
Munere digna est.*

*Omnibus portis sacer immolatus  
Sanguis exclusit genus inuidorum  
Daemonum, & nigras pepulit tenebras*

*Urbe piata. [ Et paulò post:  
Nec furor quisquam sine laude nostrum  
Cessit, aut clari vacuus cruoris  
Martyrum, semper numerus sub omni  
Grandine creuit.*

Parsi sunt autem secundum Baronium anno Domini 303. secundum Breuiarium Palentinum anno 291. ut refert Franciscus Biuarius in notis ad Chron. Fla. Luc. Dext. ad annum 300. Vassæus in Chron. Hispaniarum ad annum 306.

4 Palmis virentibus ] Palmæ virentes dicuntur ob excellentiorem Martyrij in his præsentibus Martyribus gloriam; alioqui sufficiebat Palmas duntaxat dicere; sed addidit, virentes, ob dictam causam. Sicut enim palmæ non cedunt

dunt



dunt ponderibus, sed fortius in aduersum confurgunt; ita Massa Martyrum horum non cessit pressuris, sed maiori cum virore, & vigore perstitit in tormentis. Nisi etiam dicamus palmas virentes, quæ non solum in flore, sed etiam in fructu, qui mortem gloriosam sequitur, immarcescibili corona & gloria decoras, & quasi virentes faciat Martyres.

5 *Fœliciter indicavit*] *Lego, fideliter indicavit.*

6 *Vidi, & ecce multitudo*] Paulò aliter habet vulgata: quod ipsum intellige in cæteris subinde textibus, qui in his sermonibus occurrunt, ne toties notare oporteat.

7 *Vestiti omnes*] Subaudiendi Populi Martyrum.

8 *Palmae victoriam*] Licet verò Palma, etiam Iusti cuiusvis symbolum esse queat, iuxta illud Psal. 91. *Iustus ut palma florebit*; Ex usu tamen Ecclesiæ ferè semper Martyribus consuevit adscribi, tanquam in signum Victoriæ ex Antiquorum eruditione haustum. Vide Baronium in not. Mart. Rom. ad Primam diem Ianuarij. Certè his Insignibus videmus, Sepulchra Sanctorum Martyrum ab Antiquis Christifidelibus decorata fuisse in signum Martyrij, & triumphi: Obseruauimus enim non semel in Cœmeterio Priscillæ Via Salaria, qua per vineam R.R.P.P. Soc. IESV aditus est, huiusmodi inscriptionem in quodam Sepulcro. MARCELLA ET CHRISTI MARTYRES CCCCCL. Cum Corona, & duabus Palmis. Item: RVEINVS ET CHRISTI MARTYRES CL. MARTYRES CHRISTI, Et in fine cum nota palmarum. Et in eodem Cœmeterio Via Salaria, nuncupato Sancti Saturnini, quod aditum habet ex vinea D. Alphonsi Buccabelle Anno MDCXXX. in ingressu cuiusdam viæ (vbi ni fallor existebant viginti aut viginti quinque sepulchra) inuenta est effigies Angeli lateri magnitudine vnus palmis impressa, habentis in manibus palmam & coronam, & propè visabantur tres vnci calcinei in capite eiusdem viæ ad lampadarum commoditatem pro veneratione illorum Sanctorum Martyrum ibi quiescentium. Memoriae prodidit Antonius Bosius in volumine Romæ subterraneæ, repertas fuisse tempore fel. rec. Greg. PP. XV. in Cœmeterio Callisti duas in lapide incisas Inscriptiones, & in fine cum nota Palmarum: quarum

Prima



Prima est.

ALEXANDER MORTVVS NON EST, SED VIVIT  
 SVPER ASTRA, ET CORPVS IN HOC TVMVLO  
 QVIESCIT. VITAM EXPLEVIT CVM ANTONINO  
 IMPERATORE, QVI VBI MVLTVM BENEFICII  
 ANTEVENIRE PRÆVIDERET, PRO GRATIA  
 ODIVM REDDIT; GENVA ENIM FLECTENS VE-  
 RO DEO SACRIFICATVRVS AD SVPLICIA DV-  
 CITVR. O TEMPORA INFAVSTA, QVIBVS INTER  
 SACRA, ET VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM  
 SALVARI POSSIMVS! QVID MISERIVS VITA,  
 SED QVID MISERIVS IN MORTE, CVM AB AMI-  
 GIS, ET PARENTIBVS SEPELIRI NEQVEANT.  
 TANDEM IN CÆLO CORVSCAT. PARVM VIXIT  
 QVI VIXIT. IV. X. TEM.

Secunda verò.

TEMPORE HADRIANI IMPERATORIS.  
 MARIVS ADOLESCENS DVX MILITVM, QVI  
 SATIS VIXIT, DVM VITAM PRO CHRISTO CVM  
 SANGVINE CONSVMPST, IN PACE TANDEM  
 QVIEVIT. BENEMERENTES CVM LACRYMIS ET  
 METV POSVERVNT. ID. VI.

Plura videas apud R. P. Cæsarem Biccillum Presbyterum  
 Congregationis Oratorij Urbis in lib. de Inventione Cor-  
 poris Sancti Caij Papæ; & apud eundem Bosium in not. ad  
 Inventionem Corporis Sanctæ Cæciliæ.

9 Et ait de senioribus ] Subintelligitur, vnus. Ter-  
 tullanus in Scorp. hunc locum Apocal. sic legit. *Sicut vnus  
 ex presbyteris, Hi sunt, ait, qui veniunt ex illa pressura  
 magna, & lauerunt vestimenta sua, & candidauerunt ip-  
 sa in sanguine Agni.* Rectè dicit, *Candidauerunt*, quia  
 vt paulo antè explicauit Sanctus Augustinus, hoc eodem  
 sermone, Sanguis Christi tollit omnem maculam; proinde  
 candidum facit, hoc est, purum & syncerum absque vllius  
 alterius coloris seu tincturæ admixtione: Et hic est admi-  
 rabilis effectus sanguinis Christi, vt rubeus candidet, &  
 vicissim purpureum ex amore, & roseum faciat: Vnde Di-  
 lectus candidus vnà & rubicundus appareat.

10 Non



10 Non senes annis, non vergentibus fructum ] Scribo : Non senes annis, iam vergentibus in fructum, marcescente, &c.

11 Non anus, &c. dexteram cruenti percussoris effudit ] Scribo, Effugit.

12 Cruentus perhorruit ] Subintellige, Carnifex.

13 Quàm cruenta ætas, &c. ] Scribo, Quàm cruenta impietas, & perquam videbatur miseranda & horrenda cernentibus ea rerum species: Fiebat enim, ut qui eam rerum speciem intuebantur, etsi abhorrerent à Christiana Religione, cruciatus illos animis colliquescentibus detestarentur. Id ut Sanctorum Martyrum acta præteream, ex Cornel. Tacit. lib. 15. Annal. perspicuum fit. Is enim cum de supplicijs ageret Christianorum, dixit. *Miseratio tamen oriebatur tanquam ob unius (Neronis scilicet) sevitiam multi absumerentur.*

14 *Non confunditur* ] Locus Apostoli Pauli in Epistola ad Hebræos cap 11. id est, Deus non erubescit vocari eorum Deus. Ita Deus Abraham, Deus Isaac, &c.

15 Corpora relinquentes, tanquam lutearum domorum tecta, &c. ] Hæc Sanctus Augustinus, non quod sentiat cum Stoycis corpus esse non partem hominis, sed merum instrumentum, sed ut doceat, corporum curam Christi gratia abijci oportere. Ita in Psal. 61. Corpus parieti inclinato & maceræ depulsæ comparatur.

16 Quando eos, quos veneramur imitamur ] Similem sententiam habet Serm. 35. in Natal. 20. Martt. addit. Sirmondi. *Illi nostris festiuitatibus non egent, quia in cælis cum Angelis gaudent, congaudent enim nobis, non, si honoremus eos, sed si imitemur eos.* Cum non sit aliud, ut ait, eodem loco, *honorare, & non imitari, quàm mendaciter adulari.*

17 Sic enim volunt solemnitates suas celebrari ] Olim dies festi tanta lætitia celebrabantur, ut in illis conuiuia, & spectacula fierent, & choreæ ducerentur, ut obseruat S. Basil. in Serm. de Sancto Barlaam, & Sanctus Gregorius Nyssenus in vita S. Greg. Thaumaturg. Tandem Africani Patres ab Imperatoribus postularunt, ut spectacula illa, &



conuiuia graui pœna imposita prohiberent : vt in Concil. Carth. can. 69. Hanc ob causam multa apud Ethnicos in suis festis adhiberi solita videmus conuersa esse in solemnitate Christianorum, ne Ethnici conuersi repentina mutatione deterreri viderentur, si apud Christianos nihil splendoris in festis celebrandis seruari animaduertissent; facit enim cuiusmodi celebritas etiam ad Religionis magnificentiam, & sanctitatem æstimandam. Vide Baron. in not. ad diem 2. Febr.

18 Vt eorum pietatem lætificemur moribus nostris ]  
Lege, pietate. Et pro moribus, dicerem, cordibus. *Massæ ergo Candidæ solemnitatem, candida conscientia celebremus*; Sic testatum reliquit S. Aug, Serm. diu. 112.

## S E R M O

### S. AVGVSTINI EPISCOPI.

Ex Cod. m. f. Bibl. Vaticanæ. Citat Baronius in suis not. ad Martyrol. die prima Nouembris.

*In Natali plurimorum Martyrum.*



**D**ELECTAT videre campos segetum Martyrum, & Cōfessorum, vbi oculi aspiciunt Angelorum. Floruit spicas Corporis Agni Dei, qui tollit peccata mundi. In campo sæculi cœperunt virescere campi Martyrum irrigati, non fluentis aquarum, sed fluminibus lacrymarum. Quales, & quantæ istæ spicæ sunt Confessorum, maiores & minores, senes & iuuenes, virgines & lactantes, sanguineo nutriti flumine Dei; sed in Iudicio Dei non sunt maiores, vel minores, quia simul omnes protegunt Angelicæ potestates. Iam videamus senes, & iuuenes, virgines

ac



ac <sup>2</sup> lactantes pariter, & Confessores. Vide <sup>3</sup> Eleazarum nonaginta annorum senem super iuuenes luctatorem. <sup>4</sup> Intuere, iuuenes illi septem Fratres de vtero consimiles, de . . . . . gratia compares de cruore concordēs, quales spicæ flourerunt in vnum, quia *ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Quis rigauit istas spicas in campo sæculi fluctuantis? <sup>5</sup> Mater patiens, & compatiens spicas testimonij sui consanguineo precum suarum fonte <sup>6</sup> rigabat, & Dominus incrementum dabat, qui Matrem, & filios adiuuabat. <sup>7</sup> Aspice, & pueriles spicas Martyrum: Tres pueros in camino flammaram. Vide, & alias segetes: <sup>8</sup> sub Herode peremptos infantes, & Martyres sine detrimento gaudentes. Plantatus ergo totus Mundus spicis Martyrum purpurantibus. <sup>9</sup> Ambulabat Beatus David inter istos purpureos campos rosea victoria coronatus: Lætatur, pascitur oculis, & cantat vocibus pietatis: *Qui seminant, inquit, in lacrymis, in gaudio metent.* Vide ipsos seminatores, ipsos pariter & messorēs, sed per Angelicas potestates, quantis in locis istæ <sup>10</sup> spicæ dispersæ sunt, quando vbique trasferuntur <sup>11</sup> reliquiæ Martyrum, ad medicinam infirmorum, & lumen cæcorum, & solemnitatem Populorum, & ad misericordiam indigentium. Soluuntur modò <sup>12</sup> gremia, sed nō soluitur consummata corona. Velut spicæ sunt reliquiæ Martyrum, quæ plantantur per totum mundum, . . . incimi . . . venit mes . . . electis mom . . . tum . . . . . resurre-  
ctionis . . . . .  
spicæ ad manipulos suos, & videbis <sup>13</sup> exercitus pretiosos, non dispersos in terra, sed collectos in patria sempiterna. In cælo nouo, & in terra noua lu-  
cebunt



cebunt <sup>14</sup> velut lampades in manibus Angelorum. Nonne, quando eos impij Iudices crudeli incendio concremabant, non quasi spicæ soluebantur? Modò vbi sunt? collegit eos, qui ædificauit Hierusalem Dominus, <sup>15</sup> & dispersiones Israël congregat. Testis est ille campus de exercitu mortuorū: Nonne quasi spicæ erant, caput, & manus, pedes, & ossa, articuli, & nerui, carnes, & cutes? <sup>16</sup> Sonuit Prophetæ clamantis vna tuba, & collectis articulis, aristis facta est seges vna stupente Cœlo, & Terra, <sup>17</sup> multo clarius vocibus Angelorum, quasi falcibus gaudiorum. Colligentur de singulis locis de Terra, & Mari, de campo, & profundo, de siluis, & aquis, de faucibus bestiarum, & de ventre belluarum. Quando mare, & terra reddunt mortuos suos, & colligentur ossa ad ossa, spicæ ad gremia, & apparebit in Ierusalem messis pretiosa, quia ipsi sunt, qui lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. De isto campo clamabat Beatus David: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Vere flebant, quando lapsos lugebant, & infirmos lacrymis adiuuabant. <sup>18</sup> Bona sanguinis rigua, <sup>19</sup> vbi non cadunt grana per infinita tormenta. Lapidantur, & solidantur, nec grana decidunt, sed melius nutriuntur. Vide segetem corporis Sancti Stephani lapidari, & grana fructus eius penitus non quassari. Lapides illi sonabant, & ille ad Cœlos apertos caput leuabat: vbi panis vitæ fulgebat, <sup>20</sup> ibi calamus Stephani testificando florebat. Sanguis fundebatur, sed constantia non soluebatur, nec lingua confundebatur, quia in fundamento Euangelij fortis inueniebatur. <sup>21</sup> Vide, spica Isaiaë Prophetæ ferra acuta secabatur, <sup>22</sup> & non soluebatur spica corporis, fidei constringente constantia.

Quan-

*Psal. 125 6.*



23 Quando enim messorum manibus gremia defecta bene cinguntur, manipuli non soluantur, sed integri iactantur ad carrum. Sic & corpora Sanctorum gremia integra 24 ad carrucam carnis Christi leuantur, sic occurrunt Christo in nubibus, & regnabunt in splendoribus Sanctorum, cum eodem, qui viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

---

N O T Æ.

**H** VIVS sermonis principio, & argumento vitur Sanctus Fulgentius Serm. 10. de Martyribus. Quis enim dubitet vidisse eum, & legisse, nec puduisse imitari?

1 Floruit spica Corporis Agni Dei ] Sic Christum spicam appellat S. Chrysoft. orat. in Natal. Dom. quæ incipit, *David idem Rex, & Propheta*, interprete Achille Statio. Sic etiam Proclus orat. prima in Laud. Virg. Mariæ. Dicitur vero spica corporis ad eum modum, quo, flos campi, & lilium conuallium, & aptè spica, quia creuit in frumentum panis mundus humano generi porrigendus; iterum quia trituræ passionis subijciendus cum aristis & culmis, vt granum proferret seminandum, & multiplicandum, hoc est, vt passione sua redimeret genus humanum: Quia ergo Martyres patiuntur, nec non tusionibus, & pressuris triturantur, vt ad multos ex humano genere ad Christum adducendos cooperentur, rectè spica dici possunt: immò translatione ampliata generatim omnes homines, adeoque genus humanum subinde apud Sanctos Patres hoc vocabulo significatur. Vide Basil. Seleuc. orat. 4. de Cain & Abel super illud Genes. 3. *Cognouit Adam uxorem suam Euam, &c.* & Chrysoft. orat. de Sancto Romano Mart. Sed etiam vulgatum est adagium, *E culmo spicam conijcere.*

2 Et lactantes ] Lego, lactentes.

3 Vide



3 Vide Eleazarum ] Patrem scilicet Machabæorum ;  
 4 Intuere iuvenes illi ] Scribe illos, scilicet septem fratres Machabæos, quorum martyrium fusè describit Iason, Cyrenæus, cum primum dicat, flagellatos taureis, hoc est, loris bubulis, postea nonnullis exsectas esse linguas deinde cutem detractam à fronte vsque ad synciput omnibus, tum extremas corporis partes manus, & pedes amputatos, denique missos in bullientes oleo sartagine. His addit Prudentius, impressas fuisse capitibus laminas ignitas: Theophil. Alexand. præterea viscera extracta, & membra rotis diuisa testatur: Et Victorinus Afer scribit, cratibus impositos hos fratres fuisse. Igitur vix quicquam legitur immanius, aut truculentius ante ea tempora vnquam accidisse. De eorum martyrio, & laudibus etiam agit Sanctus Fulgentius Serm. 69. in Natal. Sanctorum Machabæorum.

5 Mater patiens ] Puta fratrum Machabæorum, cui nomen aliqui *Carteria*, & *Eusebia*, ob pietatem nempe, & religionem dicunt: in Calendario Græco *Salome* nuncupatur, & in translatione Latina Ioseph, *Salamonida*. Sic Suidas: Genebrardus in Chronographia, *Annam* dixit.

6 Rigabat ] Alludit ad locum Pauli 1. Corinth. 3. *Ego plantavi, Apollo rigauit, & Deus incrementum dedit*: Cum matres non solum sint nutrices, sed etiam magistræ filiorum; quæ dum filios piè educant, cœlesti velut sapientiæ rore videntur aspergere, ac planè rigare.

7 Aspice & pueriles spicas, &c. tres pueros in Camino ] More Scripturæ pueri vocantur, quia intimi serui, & velut familiares. Sic Abraham puer Dei vocatur. Et Psal. 112. Pueri, idest serui, laudare iubentur Dominum. Hos ipsos pueros in fornacem missos, Scriptura aliquoties viros vocat: quod nonnulli, ex Hæbreorum traditionibus dictum putant, quia trigesimo primo ætatis anno in fornacem missos habent. Rectius viri vocantur ob virilem in sufferendo fortitudinem, esse alioqui ætate pueri. Eisdem S. August. Iustos vocat Ser. 240. de temp. *Offeruntur ergo, inquit, ignibus Iusti, vestitu tecti, vinculis colligati: defenduntur ardoribus Iusti, & quos vis humana damnauit, ignis absoluit*. Vide Tertull. in Scorp. & S. Hier. de muliere septies icta.



8 Sub Herode peremptos, &c. & Martyres sine detrimento gaudentes ] *Prophanus hostis nunquam beatis parvulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio.* S. August. Serm. 10. de Sanctis. Nulla enim ætas Deo spreta est: omnis capax est Spiritus sancti, omnis triumphare potest de morte, & de diabolo, etiam infantium.

9 Ambulabat Beatus David ] Ambulabat autem cum à Saule persecutionem patiebatur; cum ab Absalone filio Regno deturbandus quærebatur; cum tot undique ingruentia bella, & mala sustinebat. In omnibus autem se Dei voluntati conformans dicebat: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Psal. 125.

10 Spicæ dispersæ sunt ] Scilicet Reliquiæ Sanctorum Martyrum: sicut enim spicæ in campo terrestri crescunt, ita Reliquiarum cultus, & honor in campo spirituali Ecclesiæ veneratione sua virent. Ex huiusmodi spicis vnam damus olim gloriæ Martyrum insettam eò recentiori flore, quò dudum iam gladijs impiorum recisa, & velut terræ scrobis obruta latuit. Est verò is Canonicus Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Angeli in Foro Piscium (Erat enim Collegiata vsque ab Anno 1217. tempore Honorij Papæ Primi, vt apparet in quodam peruetusto Instrumento existenti in Archiuo eiusdem Ecclesiæ) qui gladijs impiorum occubuit anno Christi 1227. tempore scilicet rec. Greg. PP. Noni, vt ex Bulla Archiuij prædictæ Ecclesiæ S. Angeli luculento argumento constat, sed à memoria hominum diu abfuit: quem idcirco nos, qui Canonici eiusdem Ecclesiæ munere fungimur, post tot sæcula velut exhumatū repræsentamus, & rediuuium memoriæ hominum iterum commendamus. Extat Bulla, siue Breue tenoris sequentis, videlicet.

## GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei

**D**ILECTIS filijs Rectoribus, & Visitoribus  
Vrbis salutem, & Apostolicam benedictionem.  
Vberes gratiarum actiones Deo Patri offerimus, quòd  
super



super correctione Cleri Romani nosse, ac posse vobis dedit ad gloriam, & honorem ipsius, & optatum commodum animarum. Quod utique gratum habemus plurimum, & acceptum, & super eo prudentiam vestram dignis in Domino laudibus commendamus, firmiter proponentes, tam diligentiam vestram, quam deuotam ipsius Cleri obedientiam fauore, ac gratia prosequi temporibus opportunis; cum ex hoc specialiter vos, & eos geramus in visceribus IESU CHRISTI. Super eo verò de interempto ijs diebus gladijs impiorum bon. mem. B. Presbytero Sancti Angeli: in eo, sicut intelleximus, glorificatur nomen Domini, & deuotio Populi non modicum augmentatur: non mediocriter exultamus, & in laudes quas possumus assurgimus Creatori. Verum, quia Ecclesia Romana cum magna maturitate in talibus procedere consuevit, Auctore Deo, super hoc communicato Fratrum nostrorum consilio, prouidere curabimus, quod cedet ad gloriam Dei, honorificentiam Urbis, & deuotionis fidelium incrementum. Datum Anagninae decimo Kalend. Septembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Accidit ea cædes, absente Gregorio, quo tempore in Vrbe Seditio, & Hæresis, vt inquit Platina, orta est, quanta nunquam antea, Hannibale, ex gente Annibala cum quibusdam Sacerdotibus male sentiente: quo quidem auctore Populus Romanus vsus in Ecclesiam Dei coniu-  
rauerat. Hæc Platina; qui tamen ita intelligendus est, vt prædictam seditionem, & hæresim præcipuè læuissè tempore dicti Hannibalis velit, licet pridem antea cœperit, quando in sacra omnia, sacrasque personas grassata est. Hac igitur seditione, & hæresi prædictus Presbyter S. Angeli, aut pro Fide, aut pro iure Romanæ Ecclesiæ tuendo, gladijs impiorum cæsus est; dignus, quem hac elocutione Pontifex memoraret, qua Alexander Papa Tertius, Sanctum Thomam Cantuariensem simili de causa pridem occisum, & in  
San-



Sanctis adscriptum laudavit . Vt autem apparet ex modo loquendi Gregorij , eadem ratione de dicto Presbytero in Sanctos referendo agebatur ab Ecclesia Sancti Angeli, cuius tamen rei cognitionem matura deliberatione tractandam in Vrbe Pontifex significat . Sed eam impeditam satis constat ab ijs , quæ tum iactationes erant pluribus annis continuatæ . Hæc ex occasione ad vindicandam memoriam tam illustris facti dicta satis .

11 Reliquiæ Martyrum ad medicinam infirmorum ] Vetus consuetudo in Ecclesiam transferendarum Reliquiarum Martyrum , de qua vide S. August. lib. 22. de Ciuit. Dei, vbi de Reliq. S. Stephani .

12 Gremia ] Alias cremia , quæ sunt ligamenta siue vincula manipulorum . A Columella dicuntur gremia .

13 Exercitus pretiosos ] Quia pretiosa mors Sanctorum , præsertim Martyrum ob fusi sanguinis pretium .

14 Velut lampades in manibus Angelorum ] Quia inter Angelorum choros lucebunt , à quibus in hac vita mortali deducti , & velut in manibus , vt loquitur Psal. 90. portati sunt .

15 Dispersiones Israel ] intelligit maximè eos qui in Euangelico campo creuerunt ad ædificationem Hierusalem .

16 Sonuit Prophetæ ] Alludit ad Ezechielis Prophetæ miraculum .

17 Multo clarius vocibus Angelorum , quasi falcibus gaudiorum colligentur de singulis locis ] Postquam scilicet Angelorum ministerio ad sonum tubæ experrecti fuerint , colligentur mortui , &c. Dicuntur Angelorum voces , quasi falces gaudiorum , quia metentur Sancti ad gaudia sempiterna .

18 Bona sanguinis rigua ] Rigua , dicit, prata, & campos sanctæ Ecclesiæ Martyrum sanguine irrigatos, immò seminatos ad flores, & fructus Christianorum proferendos, iuxta illud Tertull. in Apolog. *Semen est sanguis Christianorum.*

19 Vbi non cadunt grana per infinita tormenta ] Leo Magnus Serm. 1. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur,*



*statur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Vide Lactant. lib. 5. cap. 13. & 20. & Tertull. in extremo Apol. S. Cyprian. lib. de dupl. mart. S. Nilum homil. in Ascens. 2. apud Photium in Biblioth. pag. 840.

20 Ibi calamus Stephani ] Fortè culmus, qui est frumenti calamus.

21 Vide spica Isaiaë ] Prophetae ] Lege spicam. Serra acuta secabatur. Serram ligneam fuisse tradunt Iustin. in Dial. cum Triph. Menolog. Græc. ad 9. Maij, quæ acuta fuit ob duritiem ligni. Vide Origen. in Isa. S. Hier. in cap. 15 Isa. Tertull. lib. 3. contra Marc. Simili supplicio occubuisse tradunt Menologistæ S. Christophorum Mart.

22 Et non soluebatur spica corporis fidei constringente constantia ] Aut tolle particulam negatiuam, non, aut lege sic: Et soluebatur spica corporis, non fidei constringentis constantia. Sensus est, etiam corporis spica soluta, fidei constantiam solutam non esse. Vide Prudent. in pass. S. Laur. & S. Cyprian. de dupl. Mart.

23 Quando enim messorum manibus gremia ] Aptè corpora dicuntur gremia, benè manipuli eriguntur, non soluuntur, sed integri iactantur ad carrum, vt comportentur in horreum.

24 Carruca carnis Christi ] Sicut in Psal. 29. carnem Christi faccum vocat, ita hîc, carrucam; licet diuerso respectu, ibi, propter Passionem, hîc, propter Resurrectionis triumphum, quo ascendens in Cœlum captiuam duxit captiuitatem.





## S E R M O

## S. AVGVSTINI EPISCOPI.

Ex Cod. suprad. Bibl. Vaticanæ Citat Baronius in not. ad  
Martyrol. die prima Nouembris.



ANCTA Festiuitas Beatissimorum *In Natali plu-  
rimorum Mar-  
tyrum.*  
Martyrū lætiores nobis reddidit diem:  
lætetur, quia de terra laboris ad regio-  
nem quietis Martyres transierunt. Sed  
hoc non saltando, sed orando; non po-  
tando, sed ieiunando; nō rixando, sed tolerando, me-  
ruerunt. Contribulabantur eorum parentes, quādo  
ad passiones abierunt, sed illi lætabātur, & dicebant:  
*Letati sumus in his, quæ dicta sunt nobis: In Domum  
Domini ibimus.* Nolite parentes, nolite plangere  
*Psal. 121. 1.*  
gaudia nostra; si eos, quos nutritis non vultis in  
gehennam ire, imitari illos debetis, non impedire.  
Illi nouerant quò pergebant, & parentes increduli  
sine causa plangebant: sed tunc amando filios car-  
nales lugebant, sed postea credentes in Deum di-  
cebant. *Conuertisti planctum meum in gaudium  
mihi: conscidisti saccum meum, & præcinxisti me  
lætitia.* *Psal. 29. 14.*  
Vtinam, Fratres mei, rumpatur in nobis  
saccus poenitentiae, & effundatur pretium indul-  
gentiae. Martyres omnes sarcinas lucrorum sæcu-  
li huius, hic posuerunt, hic dimiserunt, & viam  
sicut Do . . . . runt . . . f . . nt . .  
nihil habentes, & omnia possidentes. Et verè nihil  
habebant, sed in Cœlo felicitatem perpetuam pos-  
sidebant. Ad Cœlum deuotè festinabant, & viam  
vitæ securi currebant, & adhuc longè polita, ma-  
nus ad palmam cum Angelis extendebant. Curri-  
te Sancti, sic currite, vt omnes comprehendatis.



Regnum Cœlorum vim patitur, & qui vim faciunt, diripiunt illud. Non est angustum: s quisquis beatus est, ad Regnum Cœlorum festinet: 6 nulli clausum est, nisi qui se exclusit. Paratus est Christus suscipere Confessores suos; ipse desuper dicit: Expectabo vos, certantes adiuuabo; 7 vincentes coronabo. Hanc pollicitationem Martyres tenentes, terrores, & minas persecutorum pro nihilo habuerunt. Nam cum persecutor diceret, Sacrificate Idolis; Responderunt, Non facimus, quia æternum Deum in Cælis habemus, cui semper sacrificamus, nam dæmonijs non immolamus: Et Iudex, 8 Quare ergo cōtra præceptum sacrum facitis? Responderunt, Quia Magister cœlestis nobis dixit in Evangelio: *Qui reliquerit Patrem, aut Matrem, Vxorē, & filios, & omnia, quæ possidet; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et Iudex: Ergo non obtemperatis præceptis Imperatorum? Et dixerunt, Non. Et ille: 9 Qua ergo auctoritate potestis habere, cum vos videatis supplicio subiacere? Et Martyres dixerunt: Auctoritatem Regis æterni portamus, ideò auctoritatem mortalis hominis non curamus. Tunc in carceribus missi, catenis onerati sunt. Quantum dictum est ab impijs: Vbi est Deus eorum? veniat Deus eorum, in quo crediderunt, & liberet eos de carceribus, eripiat eos à gladio, eripiat eos à bestijs. Omnia ista dicebant, 10 sed in petra positos non deiciabant. Illi sæuiebant, sed illi non timebant: sciebant vbi eos dimittebant, & ad quos festinabant. 11 Coronabantur 12 Martyres Confessores, & remanserunt 13 Iudices desertores. Sic vult Dominus vnumquemque Christianum, vt probatum velit cum Martyribus coronare.

NO-

Luc. 14.



## N O T Æ .

**H**IC Sermo remissior est, sed non alieno more à pluribus alijs, vbi familiarius agit S. Augustinus.

1 Non saltando, sed orando ] Quidam enim Christiani imitatione Gentilium sua festa cantando, potando, saltando, &c. polluebant. Hi igitur, hoc loco, auocantur à tali superstitione ad opera pietatis; vide Sermonem septimum August. de Kalend. Ianuarij addit. Sirmondi, vbi: *Nolite misceri Gentibus similitudine morum, atque factorum. Dant illi strenas, date vos eleemosynas: Aduocantur illi cantionibus luxuriarum, aduocate vos sermonibus Scripturarum: currunt illi ad theatrum, vos ad Ecclesiam: inebriantur illi, vos ieiunate;* Vide Asterium de fest. Kalend. Chrysoft. de spectac. Circen.

2 In gehennam ire ] Non intelligit de his, qui iam superato mundo ad Cœlites euolarunt, sed de his, qui adhuc inter mortales viuentes, ad imitationem Martyrum erudiendi sunt, ne ab incredulis parentibus auocentur à bono vitæ æternæ.

3 Saccus pœnitentiæ ] Saccus pœnitentiæ est corpus nostrum, saccus indulgentiæ est Corpus Christi, ex quo confcisso iuxta Psalm. 29. effusum est pretium nostræ redemptionis, quod est sanguis Christi. Euacuemus saccum nostrum, hoc est, sarcinas lucrorum, vt impleamus animas lucro redemptionis, quam saccus Christi fudit.

4 Ad palmam cum Angelis ] Angeli enim præcipuè fauent currentibus ad martyrium, aut exercentibus patientiam; vnde dicuntur manus extendere ad palmam, quia faciunt, vt sui clientes feruenter currant ad apprehendendū; ideò sequitur: Sic currite, &c.

5 Quisquis beatus est ad Regnum Cœlorum festinet ] Beatus iam dicitur, etsi nondum comprehenderit finem, iuxta illud Psalm. *Beati immaculati in via.* Tam certa enim est spes Deo in innocentia seruientium, vt ipsa inchoatio nomen finis mereatur. Sic timor Domini initium est sapientiæ,



tiæ, & tamen, qui incipit timere Deum, Beatus appellatur. *Beatus vir, qui timet Dñm, in mandatis eius volet nimis :*

6 Nulli clausum est, nisi qui se exclusit ] S. August. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. post medium. *Esau si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: nisi vocatione contempta reprobus fieret.* Et idem lib. de nat. & gratia cap. 26. *Deus non deserit, si non deseratur.* & S. Io. Chrysofost. in Epistola ad Rom. homil. 16. circa finem. *Pharao si saluatus minimè fuit, rei totius culpa ab illius animo accidit.* Idem testatur S. Prosper ad Capitula Gallorum cap. 3. loquendo de præscitis: *Ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria præuaricatione præsciti sunt.* Similia habet tum ibi, tum cap. 7. & alibi.

7 Vincentes coronabo ] Vide S. Augustinum tom. 9. de Arbore scientiæ boni, & mali, & S. Prosperum epigr. 30.

8 Quare ergo contra præceptum sacrum ] Quia dixerant se Deo sacrificare Martyres, Iudex impius perinde putabat esse Sacrificare Deo, atque exequi præceptum Tyrannorum, vt Dijs sacrificarent. Aptè ergo respondetur: *Magister cœlestis dixit nobis, &c.* Nam si Pater, & Mater relinquendi sunt propter Christum, multo magis Imperatorum edicta impia (quæ nomine præcepti sacri appellabantur) proculcanda: vnde consequenter Iudex cæcitatatis interrogat, *Ergo non obtemperatis præceptis Imperatorum? & dixerunt, non, &c.*

9 Qua ergo auctoritate potestis habere ] Lege, quam ergo auctoritatem, aut qua auctoritate potestis euadere; iuxta illud Breuiarij Rom. in responsorio 3. noct. Dom. Palmorum: *Liberet eum de manibus nostris.* Omnia porrò hic breuibus perstringuntur, quæ alibi fusè explicat Sanctus Doctor.

10 Sed in petra positos, &c. ] Sunt enim Christiani, vt ait S. Cypr. lib. 2. Epist. 4. *verè Euangelij testes, & verè Martyres Christi, radicibus eius innixi, supra petram robusta mole fundati.* Erat enim illis tanta constantia in perferendis Tyrannorum cruciatibus, vt Ethnicus Scriptor Ammian. Marcell. tanquam admiratione captus reliquerit scriptum lib. 22. *Pertulere, ait, cruciabiles pœnas ad vsque*  
glo-



*gloriosam mortem intemerata fide progressi, & tunc Martyres appellantur: Nec mirum, cum Mens, vt testatur Theophil. Alex. Dei amore vallata flammam superet, & varios tormentorum spernat dolores.*

II Coronabantur ] Id est, fœlicitate, & beatitudine donabantur post labores, & sudores certando exanthlato. Antiquitus enim corona fuit inuenta pro refrigerio capitis, quod porosum in calore certaminis, nisi refrigeraretur, morbo periclitari poterat: ideò contextæ ex folijs arborum coronæ caput cingebant, inumbrando suauiter refrigerantes: & quemadmodū diuersæ erant Antiquis coronæ, Triumphalis, Obsidionalis, Ciuica, Naualis, Muralis, Vallaris, Qualis, eiusque generis complures, omnes tamen istæ ita diuersis constabant arborum folijs, adquæ aurum, & gemmæ accessoria tantum erant ornamenta. Hodie Reges, & Principes suo quique ritu coronantur, nempe, vt Capita Populi, & Respub. pro qua laborando, & vigilando desudant, ideò velut hoc refrigerio egentes. In proposito nostro, Sancti, qui pro Christo viriliter pugnarunt, merito coronantur. Vide S. Cyprianum lib. 4. Epist. 6. & Tertull. in Scorp.

II Martyres Confessores ] Martyres dictos Confessores, in confesso apud omnes, quia fidem vsque ad sanguinis effusionem profitebantur. Quamquam Confessores appellantur etiam ij, qui multis pro Christi fide tormentis superatis, diuina voluntate liberati, & tot agonibus superstites, sine sanguinis effusione, tandem tranquillam mortem obierunt. Vide Cyprianum Epist. 46. Talis fuit inter alios Paphnutius ille Magnus, quē Maximinus dextro oculo exculpto, & poplite sinistro inciso ad metalla damnauerat; Sanctus Athanasius item, Ambrosius, & Hilarius, de quo Sanctus Hieronymus: *Hilarius meorum Confessor temporum & Episcopus*: Pluresque alij, quorum nonnullos Eusebius vocat tertio, & quarto Confessores, hoc est, ob Christi Confessionem sæpius publicè cruciatus; quos tamen Tertullianus nunc designatos Martyres, nunc simpliciter Martyres appellat. Interdum etiam hoc vocabulum Sanctis mulieribus attributum fuisse videmus, vt in Concil. Tolet. 4. Sanctæ Leocadiæ, quæ non ferro, aut tormentis, sed carcere-

ris.



ris squallore, & fame obiit. Denique Concil. Carthag. 4. Can. 2. id nominis etiam Cantoribus, & Psalmistis, poenè in infimo Clericorum gradu censitis concessit, quòd Deo laudes decantarent; id enim est passim in sacra Scriptura, confiteri, quòd Deum cantando laudare: & ita intelligendus est Canon sextus Concil. Toletan. primi, vbi vetat Puellam Dei familiaritatem habere cum Confessore. & Can. 9. vetat Profeflas, vel Viduas, absente Episcopo, vel Presbytero, in Domo sua antiphonas cum Confessore, vel seruo suo facere. Vide plura apud Gabrielem Albaspin. lib. 1. obseruat. 21. de Veteribus Ecclesiæ ritibus, vbi diffusè ponit discrimen inter nomen Martyris, & Confessoris, Extorris, Libellaticorum, Thurificatorum, Sacrificatorum, Blasphemorum, & Lapsorum. Hic tantum aduerte, quòd illa Ecclesiæ pars, siue locus ille subterraneus, sub maiori Altare circa Presbyterij ambitum, vbi Sanctorum Martyrum reliquiæ recondabantur, Confessio dicta est, vtpotè Confessoribus addicta, & Confessionis fidei sanguine testatæ monumentum. Interdum etiam ipsum Altare Confessionem appellari ob expressam in ipsis Altaris ornamentis, siue argenteis, siue marmoreis Martyrum Confessionem: licet propriè illa pars duntaxat Altaris id nominis ferret, quæ huiusmodi Confessionem continebat: Habebat autem quælibet Ecclesia antiquitus suam Confessionem: Vide Anastasium Bibliothecarium in Vitis Summorum Pontificum Sixti Tertij, Hilarij, Leonis Quarti, & aliorum, apud ipsum: Quæ etiam appellabatur Martyrium: Vide Sanctum Augustinum lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. vbi Martyrium Sancti Stephani appellat locum, in quo is colebatur Hierosolymis. Templum in Caluariæ Monte à Constantino ædificatum, Magnum Martyrium dicebatur. Eusebius lib. 4. de Vita Constantini cap. 4.

13 Iudices desertotes ] Cùm fides extorqueri non possit; Vnde Lactant. lib. 5. cap. 20. *Non est opus vi, & iniuria, quia religio cogi non potest: Verbis potius, quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas.*



## S E R M O

## S A N C T I A V G V S T I N I

In Sabb. ante Primam Dominicam  
Quadragesimæ.

*Hic Sermo truncatus est ea parte, qua Sanctus Augu-  
stinus ex Sancto Iacobo, agit de bonis operibus, siue incu-  
ria textoris, siue potius, quod malim dicere, factum sit  
fraude Hæreticorum, quibus propter bona opera nimium  
laudata Iacobi Apostoli Epistola exosa est; ob quam cau-  
sam, & impius Lutherus eam stramineam vocavit. Ex  
bac enim tanquam præcipuo sacra Scriptura loco, probant  
Catholici, solam Fidem non sufficere, sed sine bonis operi-  
bus mortuam esse. Nos igitur fragmentum, quod in im-  
pressis desideratur, tibi damus; ne sua integritas tam lu-  
culento monumento deesset.*

*Apud Cod.  
m. f. Biblioth.  
Barber. titu-  
lus est. Hom.  
S. August. de  
initio Qua-  
drag. in præ-  
dicatione  
Populi.*

Ex peruetusto Cod. m. f. Bibliothecæ Barberinæ.

**R**OGO vos, Fratres charissimi, & admo-  
neo, vt in isto legitimo, ac sacratissimo  
tempore, exceptis Dominicis diebus,  
nullus prandere præsumat, nisi forte ille,  
quem ieiunare infirmitas non permittit:  
quia alijs diebus ieiunare remedium est, aut præmiũ;  
in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Alio  
tempore qui ieiunat, accipiet indulgentiam: \* In  
Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam: &  
tamen qui ieiunare non præualet, secretius sibi so-  
li, aut si est alius infirmus cum ipso, in domo sua  
præparet, quod accipiat, & illos, qui ieiunare præ-  
ualet, ad prandium non inuitent: quia si hoc fece-

*\* In prædicto  
Cod. est. In  
Quadr. qui  
potest ieiu-  
nare, & non  
ieiunat, sen-  
tiet pœnam.*

D

rit,



rit, non solum Deus, sed etiam homines possunt intelligere illum non pro infirmitate non posse, sed pro gula ieiunare non velle. Sufficiat illi, quod ipse ieiunare non præualet, & magis cum gemitu, & suspirio, & animi dolore manducet, pro eo quod alijs ieiunantibus, ille abstinere non potest. Quod opus est vnicuique infirmo, secretiùs sibi soli, aut cum alio similiter infirmo faciat præparari: quia non ei oportet vt aliquem sanum roget ad prandium, ne sibi etiam de alterius gula augeat peccatum. Pro eo tamen, quod non potest ieiunare, amplius debet erogare pauperibus, vt peccata, quæ non potest ieiunando curare, possit in eleemosynis dando redimere. Bonum est ieiunare, Fratres, sed melius est eleemosynam dare. Si aliquis vtrumque potest, duo sunt bona. Si verò non potest, melius est eleemosynam dare. Si possibilitas non fuerit ieiunandi, eleemosyna sufficit sibi sine ieiunio: ieiunium verò sine eleemosyna omnino non sufficit. Ergo si aliquis ieiunare non potest, eleemosyna sine ieiunio bonum est. Si verò præualet ieiunium cum eleemosyna, duplex bonum est. Ieiunium verò sine eleemosyna, nullum est bonum: nisi fortè ita sit aliquis pauper, vt non habeat omninò quod tribuat. Illi ergo, qui non habuerit vnde tribuat, sufficit voluntas bona, secundum illud, quod scriptum est: *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sed quis erit, qui se possit excusare, cū etiam pro calice aquæ frigidæ mercedem se Dominus redditurum promiserit? Et quare frigidæ dixit? ne forte se posset aliquis pauper de lignorum penuria excusare, aut dicere se vasculum vbi aquam calefaceret non habere. Denique & per beatum Prophetam, Fratres charissimi, Dominus ita hortatur,

Luc. 2.



tur, & admonet eleemosynam fieri, vt propè nullus pauper sit, qui se valeat excusare. Sic enim ait: *Hoc est ieiunium, quod elegi, dicit Dominus: Frange esurienti panem tuum.* Non dixit, vt integrum daret, cum forte pauper ille alium non haberet: sed, *frange*, inquit: hoc est dicere, Etiam si tanta paupertas tibi est, vt non habeas nisi vnum panem, ex ipso tamen frange, & pauperi tribue. *Et egenum, inquit, ac sine tecto induc in domum tuam.* Si aliquis ita pauper est, vt non habeat vnde tribuat pauperi cibum; vel in vno angulo domus suæ peregrino præparet lectulum. Quid nos ad hæc dicturi sumus, Fratres, vel quam excusationem habere poterimus, qui amplas, & spatiosas domus habentes, vix aliquando dignamur excipere peregrinum, ignorantes, immò non credentes, quòd in omnibus peregrinis Christus excipitur; sicut ipse dicit: *Hospes fui, & suscepistis me. & Quamdiu vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis?* Laboriosum, & fastidiosum nobis est, in pauperibus recipere Christum in patriam nostram: timeo ne nobis ille vicem reddat in Cœlo, & non nos recipiat in beatitudinem suam. Contemnimus illum in mundo: timeo ne nos ille iterum contemnat in Cœlo, secundùm illud, quod ipse dixit: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare; hospes fui, & non accepistis me. & Quamdiu non fecistis vni ex minimis istis, nec mihi fecistis.* Et quod post hæc, fratres, sequitur, auertat Deus a nobis. Hoc enim postea addidit, dicens: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Hæc ergo, Fratres, non transitorie, nec solis corporis audiamus auribus, sed fideliter audientes etiam, vt alij teneant, & impleant verbo pariter, & exemplo doceamus.

Isai. 58.

Matth. 25. 35



\*Qua sequū  
tur extant in  
eodem Codice  
connexa pra.  
cedētibus, sed  
desiderātur in  
impressis.

Iac. 5.

\* Quid ergo post hæc dixit Dñs per Prophetam? Si  
videris, inquit, *nudum operi eum*. Ego in hanc sen-  
tentiam neminem iudico: 1 Vnusquisque attendat  
conscientiam suã. Me tamen arguo, & reprehendo,  
quia fortè aliquoties venit, vt per negligentiam 2 ve-  
stimētacula mea, quæ debuerunt accipere pauperes,  
deuorarentur à tineis; & timeo ne mihi ipsi panni ad  
testimonium proferantur in die Iudicij, secundùm  
illud, quod Iacobus Apostolus terribiliter increpat  
dicens; 3 *Agite nunc, inquit, Diuites: plorate vlu-*  
*lantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitiæ ve-*  
*stra putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis co-*  
*mešta sunt. Aurum, & argentum vestrum erugina-*  
*uit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, &*  
*manducauit carnes vestras, sicut ignis. Thesauri-*  
*zastis super terram, & in delicijs enutristis corda ve-*  
*stra in die occisionis.* Hæc omnia, sicut dixi, Fra-  
tres charissimi, quæ per Apostolum comminatus  
est Christus, licet nos nimium terreant, non tamen  
de Dei misericordia desperandum est. Adhuc enim  
& ego, & mei similes negligentes, cum Dei adiuto-  
rio possumus nos emendare, si volumus, & eleemo-  
synas, quas hucusque parcius fecimus, largius eroge-  
mus; & pro peccatis præteritis cum dolore, & gemi-  
tu, & cum spe reparationis, Dei 4 misericordiam  
deprecemur. Ergo, sicut supra suggestimus, Fratres  
charissimi, ieiunia nostra eleemosynarum pingue-  
do commendet: 5 Quia tale est ieiunium sine ele-  
mosina, qualis sine oleo est lucerna. Nam sicut lu-  
cerna, quæ sine oleo accenditur, fumigare potest;  
lumen habere non potest; ita ieiunium sine eleemo-  
syna carnem cruciat, sed charitatis lumen animam  
non illustrat. Interim, vel, quod ad præsens agitur,  
Fratres, 6 sic ieiunemus, vt prandia nostra pauperi-  
bus



bus erogentur, ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, sed in visceribus pauperum reponamus; quia 7 manus pauperis gazophilacium Christi est: quicquid accepit, ne in terra pereat, in Coelo reponit. Quia quamuis cibus, quem pauper accipit, consumatur; merces tamen boni operis in Coelo reconditur. Nam si prandia nostra exquisitis à pastoribus, & multiplicatis ferculis expendere studeamus ad coenam: si corpori nostro deliciae non subtrahuntur, sed etiam duplicantur; ac sic quomodo corpori nostro nihil minuetur, sic animae nihil augetur. Hæc, Fratres, timens magis, quam de vobis aliquid sinistrum credens, admoneo. Scio tamen plures ex vobis, Deo propitio, & peregrinos assidue excipere, & pauperibus frequenter eleemosynam dare. Et ideo quod suggero ad hoc proficiet, ut qui faciebat, amplius faciat; qui verò non faciebat, aut forte tardiùs faciebat, tam sancta sibi, & Deo placita operatione in cōsuetudinem mittat. Et licet credam, quod Deo inspirante semper superuenientibus festiuitatibus castitatem ante plures dies custodiat charitas vestra; tamen licet ex superfluo, etiam quod vos facere credo, charitatis contemplatione commoneo, & ut per totam Quadragesimam, & usque ad finem Paschæ, castitatem Deo auxiliante seruantes, in illa Sacrosancta solemnitate Paschali, charitatis luce vestiti, eleemosynis splendidi, orationibus, vigilijs, & ieiunijs, velut quibusdam coelestibus, & spiritualibus margaritis ornati, non solum cum amicis, sed etiam cum inimicis pacifici, libera & secura conscientia ad Altare Domini accedentes, Corpus, ac Sanguinem eius, non ad Iudicium, sed ad remedium possitis accipere. Sed cum de eleemosynis loquimur, non conturbetur angusta paupertas.



Matth. 7.

tas. Omnia enim compleuit, qui quicquid potuit fecit; quia voluntas perfecta faciendi reputabitur pro opere facto. Sed hoc ille implere poterit, qui omnem pauperem, quasi se ipsum considerare voluerit, sic pauperi tribuat, quomodo si ipse in tali necessitate esset, sibi fieri cupiebat. Hæc qui fecerit, & noui, & veteris Testamenti præcepta compleuit, implens illud euangelicum: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis similiter*. Hæc enim est Lex, & Prophetæ: Ad quam veræ, & perfectæ charitatis legem, ipsius Dominus sub sua protectione perducatur, qui cum Patre, &c.

## N O T Æ.

**V** Nusquisque attendat conscientiam suam ] Nemo quippè à facienda eleemosyna excusatur, & omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti. Hoc enim clarè obseruatur in cap. 11. S. Lucæ in illis verbis, *Quæ supersunt date pauperibus*. Vbi Græcus Textus habet: *Quæ suppetunt, date pauperibus*: Id est, de his quæ habetis, date pauperibus: non autem, vt à nonnullis explicatur, de superfluis facienda sit eleemosyna, ac occasione huius sententiæ exempti remanere censeantur ab hoc præcepto, qui facilè se excusant, quasi superflua non possideant: Cum vnusquisque pro facultatibus suis, vt Græci auctores Theophilaëtus, & Euthimius interpretantur, debeat pauperibus ex sua erogare substantia. Hinc illud S. Ambr. in cap. 3. Lucæ: *Ideò commune præceptum omnibus officijs, omnibus ætatibus necessaria, & ab omnibus deferenda. Non publicanus, non miles excipitur, nõ agricola, vel urbanus: Diues, & pauper, omnes in commune admonentur, vt conferant non habenti. Misericordia enim plenitudo virtutum est. Et*  
ideo



ideo omnibus est proposita perfectæ forma virtutis, ne vestimentis alimentisque suis parcant, &c. Et habetur dist. 86. in singulis. Et quid mirum? Si non excusantur etiam hi, qui non habent omnino quod tribuant, cum sufficiat saltem bona voluntas faciendi, pro opere perfecto, ut supra testatus est idem S. August. Et S. Io Chrysof. homil. 21 in Act. *Multitudo eleemosynæ non ex his, quæ dantur iudicatur, sed etiam ex voluntate. Da, quod potes, & totum exquisieris.*

2 Vestimenticula mea ] Verbum minus Latinum ad exaggerandam paupertatem adhibet S. August. Nec moueat Lectorem ut hunc Sermonem abiudicet Augustino; cum non sit mirum, si ad extenuandam regulam suam verbo improprio sit vsus, ad significandum, quanta conueniat paupertas viro Religioso. Simili modo alicubi pro sumptibus, sumpticulos dixit eandem ob causam. Quid dicturus de auro recondito? *Aurum*, inquit, S. Ambrosius lib. 2. de off. cap. 28. *Ecclesia habet, non ut seruet, sed ut eroget, & subueniat in necessitatibus.*

3 *Agite nunc diuites, &c.* ] Quantus Augustino paupertatis amor fuit, si quod Apostolus de diuitibus tantum protulit, ille suæ suorumque paupertati cõmune esse voluit!

4 Misericordiam deprecemur ] Prælati enim uerò non prodest Lectio, & Oratio, nisi adsit eleemosynæ largitio, ut testatur S. Greg. lib. 5. epist. 29. scribens Mariniano Episcopo. *Non sibi credat, inquit, solam lectionem, & orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, & de manu minime fructificare; Sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat: quia si hac non habet, vacuum Episcopi nomen tenet.*

5 Quia tale est ieiunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna ] S. Petr. Chrysol. Serm. 8. de ieiunio, & elemos. *Quod oleum lucernæ est, hoc ieiunio pietas. Sicut lucernæ lumen olei pinguedo succendit, & moderato pastu facit illud ad totius noctis solatium perlucere: Sic pietas facit splendere ieiunium, & ad totam radiare continentie claritatem.* Et Haymo Episcopus Halberstrat. Dom. Prima in Quadrag. accepit hanc sententiam à Diuo Augu-

stino



flino dicendo : *Illud ergo ieiunium Deus non approbat, quod eleemosyna non ornat; quia tale est ieiunium sine eleemosyna, qualis sine oleo lucerna. Ieiunium enim, inquit idem S. Petr. Chrysol. eodem loco, sine misericordia, non est virtus, sed hypocrisis. Ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce misericordia pugnat. Et vltterius eodem loco; Ieiunium sine misericordia simulacrum famis est, imago nulla est Sanctitatis: sine pietate ieiunium occasio est auaritie. Hinc diuites, qui non possunt ieiunare, eleemosyna monentur ieiunium compensare, vt docet idem S. August. Serm. 5. de Verbis Domini, & refertur dist. 41. Non cogantur.*

6 Sic ieiunemus, vt prandia nostra pauperibus erogentur] Hinc illud S. Leonis Serm. 2. de ieiunio decimi mensis: *Quia non solo ieiunio animarum nostrarum salus acquiritur, ieiunium nostrum misericordijs pauperum suppleamus: impendamus virtuti, quod subtrahimus voluptati: fiat refectio pauperis abstinentia ieiunantis.* Et illud S. Petri Chrysol. Serm. 8. de ieiun. & eleem. *Ieiunantes ergo, Fratres, prandium nostrum reponamus in manibus pauperis, vt seruet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus.*

7 Manus pauperis gazophylacium Christi est] Sic etiam S. Petr. Chrysol. eodem Serm. 8. de ieiun. *Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quicquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo homo pauperi terram, vt accipias caelum. Da nummum, vt accipias regnum. Da micam, vt accipias totum.*

8 Vt per totam Quadragesimam] Intelligendus est S. Augustinus iuxta ea, quae tradidit in Regulis cap. 3. Vt scilicet, si tota vita hanc Angelicam virtutem animi puritate & totius corporis modestia colere debeant; multo magis his sacris temporibus, quae tanto mysterio celebrando ab Ecclesia destinata sunt. Sic etiam exponitur ab August. locus ille in Serm. 1. Dom. 2. Aduent. de eleemosyna facienda. *Et licet, inquit, hoc expediat, vt semper eleemosynas facere debeamus; praecipue tamen in sacris solemnitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus.*



# H O M I L I A

## S A N C T I A V G V S T I N I

### De Theophania.

Ex Cod. m. s. Bibliothecæ Barberinæ.

**P**ROXIME est, Fratres charissimi, quòd  
 1 die tertia nuptias factas, & quòd aquam  
 in vinum conuersam fuisse 2 modo legi-  
 tur, audiuius. Videamus, quæ sint illæ  
 nuptiæ: Hic acquisitio, & reparatio nostra votis, &  
 festis nuptialibus demonstratur: sicut alio loco,  
 choro, & symphonia reditus filij iunioris excipitur.  
 3 Sex autem hydriæ, sunt sex mundi ætates, per  
 quas iusti figuram, & typum Domini prætulerunt.  
 Capiunt verò metretas binas, vel ternas, quia fidem  
 in se continent Trinitatis. Sed videamus, quid dicit  
 Sermo diuinus; ipsa sacra Euangelij retractemus  
 oracula. In Cana Galileæ aquas in vinum con-  
 uertit, & latentem sub homine Deum, operum  
 virtute detexit: *Et die, inquit, tertia nuptiæ fie-*  
*bant.* Quæ sunt istæ nuptiæ, nisi gaudia salutis hu-  
 manæ? Quare die tertia? siue quia nobis Myste-  
 rium Trinitatis ostendit, siue quia die tertia surre-  
 xit. Itaque *tanquam sponsus procedens de thala-*  
*mo suo,* descendit ad terras Ecclesiæ ex genti-  
 bus procreandæ, suscepta incarnatione iungendas.  
 Cui quidem Ecclesiæ, quæ vtique sumus nos, &  
 arrhas, & dotem dedit. Arrhas dedit, quando no-  
 bis est ex lege promissus: Dotem dedit, quando pro  
 nobis est immolatus. Et alio modo hoc potest acci-

Ioann. 2.

Psal. 18.

E pi;



pi; vt arrhas præsentem gratiam, dotem intelligamus vitam æternam. Videamus, quid ager in Cana Galileæ. Hic iam prodant nobis Deum stupenda miracula. Statuuntur hydriæ capientes metretes binas, vel ternas. A metro, id est, in mensura implētur hydrię: mutantur subito aquæ, homines postmodum mutantur. Et cum in melius reformantur, quodammodo Baptismatis vim loquuntur, quodammodo in illis similitudo regenerationis exprimitur. Et dum aliud ex alio efficiuntur, dum in speciem gratiores inferior creatura transfertur, Mysterium secundæ natiuitatis aperitur. Nihil in ipsis aquis de sua quantitate minuitur; & dum in se manant, à se omnino nobili commutatione degenerant. 4 Pereunt substantiæ suæ, acquiruntur alienæ: Fortior tenui materiæ apponitur sapor, & occulta fluentis leuibus virtus infunditur; & aquarum natura inebriatur: ac sic s nouo more, Creatoris sui potentiam confitentur. Quis potest istam conuertere, nisi qui potuit & creare? Deficiente ergo vino dicit Mater Iesu ad eum: *Vinum non habent.* Iam primo loco requiramus, quod sit vinum, quod defecisse dicitur; & quod sit aliud Vinum, quod mirabiliter præparatur, quod Architriclinus melius esse pronunciat dicens: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu verò seruasti vinum bonum usque nunc.* Vinum multis locis accepimus diuina præcepta, & Scripturas sanctas, meracissimum vigorem cœlestis sapientiæ continentes, quibus in timore Dei incalescant sensus, & inebrientur affectus secundùm illud, quod de sapientia scriptum est: *Parauit mensam suam, miscuit vinum suum in cratere.* Scripturarum ergo diuinarum virtus, si quando

Ioann. 2.

Prov. 9. 2.

do



do alicuius interiora repleuerit, dicere poterit cum Propheta: *Potasti nos vino compunctionis; & poculus tuus inebrians, quam præclarus est!* Operante ergo Christo in Cana Galileæ, vinum deficit, & vinum perficit: id est, umbra remouetur, & veritas præsentatur: recedit lex, gratia succedit: Carnalia spiritualibus commutantur: In nouum Testamentum obseruatio vetus transfunditur; sicut Beatus Apostolus dicit: *Vetera transferunt. Ecce facta sunt noua.* Quomodo autem hydriæ illæ impletæ aqua, nihil minuunt ex eo, quod erat, & tamen incipiunt esse & quod non erant: Ita lex non perit per aduentum Christi absoluta, sed perficit. Vino ergo deficiente vinum aliud ministretur. Bonum est vetus Testamentum, sed sine spiritali intellectu vanescit in littera: Nouum verò hominem vitæ reddit in gratia. Cùm hæc ita sint, Architriclinum ipsum præpositum in domo Sponsi videamus, quem sentire possimus: & quem alium, nisi Beatum Paulum intelligere debemus, qui post legis litteram, acceptis noui Testamenti mysterijs, suauissimo, vel odore, vel gustu, & spiritalium mentium fragrantia repletus, & inebriatus exclamat, & dicit, & laudat: *Tu seruasti bonum vinum usque nunc?* Videamus tamen quemadmodum vinum ipsum laudat: *Nec oculus, inquit, vidit, nec auris audiuit, quod præparauit Deus diligentibus se.* Ecce vera, ecce prædicanda miracula, quæ in nobis operatur, quando de pessimis bonos facit, de superbis humiles, de inhonestis castos, de sectatoribus sæculi, amicos Dei. Quæ potest maiora exercere miracula, quàm quando hominem, vermem, & putredinem, dignatur in statum Angelicum prouehere? de terrenis in coelestibus collocare, & in

Psal. 22.

2. Corint. 5.

1. Cor. 2.



gratiam suæ adoptionis assumere? Qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

---

## N O T Æ.

**H**IC Sermo rectius de Theophanijs, quam de Theophania inscribitur; neque enim agit simpliciter de conspectu Dei quocumque modo apparentis, sed per miraculum, quod solius Dei operatio est, Diuinitatem suam manifestantis, idque primo in carne edito signo. Est enim dignus eruditione ingenij Augustini, qui non vnum huius Apparitionis mysterium luculentè explicat.

1 Die tertia nuptias factas ] Tertia dia: siue postquam discessit à Ioanne baptizatus, siue habitationis suæ in Nazareth. Nam quo ad mysticum, & spiritualem sensum spectat, plerunque, Prima dies ante legem: Secunda sub lege fuit: Tertia sub gratia cœpit. Quando nimirum Christus celebratis humanæ naturæ cum Diuina nuptijs, humana quoque coniugia sanctificauit.

2 Modo legitur ] Subintellige. Ex Euangelio, quod modo legitur.

3 Sex autem hydriæ sunt sex mundi ætates ] De mysterio sex hydriarum fusè egit S. August. in tract. 9. in cap. 2. Ioannis.

4 Pereunt substantiæ suæ ] Pereunt substantiæ. Nempè in ratione totius, cum alioqui maneat commune subiectum, neque enim hîc fuit noua creatio, aut transubstantiatio, sed miraculosa aquæ in vinum conuersio.

5 Nouo more ] Scribo, Humore.

ITEM



I T E M  
A L I A H O M I L I A  
E I V S D E M , V T S V P R A .

*Habet quaedam, à S. Augustino non aliena, sed minus feliciter coaceruata, nec suo loco: erravit textor in principio, nec distinxit inter Epiphaniam & Theophaniam: quaedam etiam non sunt Augustini, sed Hieronymi potius, & aliorum longe posteriorum. Caterum alius est Sermo S. Augustini de Epiphania, qui legitimus censetur.*

Ex supradicto Cod. m. f. Bibliothecæ Barberinæ .



**D**IES Epiphaniarum Græconomine, sic vocatur. Quodenim nos Apparitionem, vel Ostensionem dicimus, id Græci Epiphaniam vocant. Hoc autem ideò dicimus, quia hodie Dominus noster, & Saluator apparuit secundum carnem in terris. Licet enim olim natus esset ex Maria, & triginta iam annorum expleisset ætatem, tamen ignorabatur à mundo: eo tempore cognitus est, quo à Ioanne Baptista, vt in Iordane baptizaretur, aduenit: Et vox de Coelo Patris intonantis audita est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Quem Pater de Coelis voce monstraauerat, hunc Spiritus sanctus verus, quasi in columba, & super caput illius sedens tactu voluit demonstrare; ne quis alius, Filius Dei putaretur ex Populo. Quid hac humilitate sublimius, vtilitate nobilius? Baptizatur à seruo, & à Deo Filius appellatur. Inter publicanos, & meretrices, & peccatores, ad lauacrum venit; & Sanctior est baptizatore suo. Baptizatur à Ioanne in carne;

*Matth. 3.*



ne ; sed ipse Ioannem in spiritu lauat . Aquæ , quæ cætera mundare consueuerant , Domino nostro lauante mundatæ sunt . Iordanis fluuius , qui eo tempore , quando Populū Israël duxit Iesus Naue , & ad Terram Repromissionis induxit , fuerat exsiccatus : nunc totis , si potuisset , vndis in vnum locum voluit congregari , vt Domini Corpus attingeret . *Iordanis* , inquit , *reuersus est retrorsum* . Videte , Fratres , quomodo id , quod in Euangelio lectum est , in vigesimo , & octauo Psalmo fuerat ante prædictum : *Vox Domini super aquas* . Loquutus est enim Dei Filius ad Ioannem : *Sine modo : sic enim oportet nos adimplere omnem iustitiam* . Sequitur : *Dominus maiestatis intonuit* , quando Pater Filio testimonium reddidit , dicens : *Hic est Filius meus dilectus , in quo mihi complacui* . *Vox Domini confringentis cedros* . Baptizatus est enim Christus ; & erecti prius , atque sublimes dæmones corruerunt . *Succidit eos Dominus , quasi Cedros Libani , & comminuit eos tanquam vitulos ;* fragmenta arborum ventilans , & calcans , stirpes in diuersa dispergens . E contrario de Salvatore , quid dicitur ? *Et dilectus sicut Filius Vnicornium* . Dilectus Dominus atque Saluator , est Filius Dei : *Vnicornium* , filius Crucis , de quo dicitur in Cantico Habacuc : *Cornua in manibus eius : ibi abscondit fortitudinem suam* . Postquam autem dilectus iste crucifixus est , impletum est illud , quod sequitur in Psalmo : *Vox Domini intercidentis flammam ignis* . Illo enim baptizato , & vniuerso Mundo , Christo lauante , mundato , gehennæ ignis extinctus est : *Vox Domini concutientis desertum* . Deserta fuit Ecclesia , quæ prius filios non habebat ; ad prædicationem Christi , deserta ista commota est ; & parturiuit , & peperit , & nata est in vna die Gens tota .

Psal. 113.

Psal. 28.

Matth. 3.

Habac. 3.



tota. Simul illa, quæ antea dicebatur Desertum Cades, hoc est, Desertum sanctitatis, siquidem non habuerat sanctitatem, cœpit parere ceruos, & Sanctorum suorum emittere greges, qui serpentes interficiunt, qui venena contemnunt, quibus discurrentibus, & toto orbe Christi Euangelium prædicantibus, *In Templo eius omnes dicent Gloriam Deo.* Sequitur: *Dominus diluuium inhabitare facit.* Consideremus totum orbem; respiciamus Barbaras nationes, Romanum quoque mente lustremus Imperium: Vbique Christo credunt; Vbique \* in Christum Dominum baptizantur. Et ita fit, vt non vna aqua, sed quodammodo sit diluuium baptismorum. Quapropter, Fratres charissimi, quoniam consummatum est Tabernaculum; hoc enim Psalmi istius titulo prænotatur, & quoniam Ecclesia viuis lapidibus constructa est: *Afferamus Domino Filios Dei, afferamus ei filios Arietum, Apostolorum, atque Sanctorum: & imitemur Saluatorem nostrum, quia ipse, & Pastor, & Agnus appellatur, qui pro nobis immolatur in Aegypto: qui pro Isaac tenetur in sentibus, & dicamus: Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectiõnis educauit me.* Cui est gloria in sæcula sæculorum Amen.

\* *Lege in Christi Domino.*

*Psal 22.*





# I N D I E

## SANCTO PENTECOSTES

*Hic Sermo non totus est S. Augustini, nec uno contextu, sed ex multis ex eo decerptis sententijs compositus: pluribus etiam ex alieno additis, quæ nec phrasim, nec eruditionem Augustini sapiunt.*

Ex supradicto Cod. m. s. Bibliothecæ Barberinæ.



**P**ERPETVI muneris refulsit hodie ornamentum quando Congregatio Sancta Discipulorum accipere meruit Spiritum Sanctum. Ante hos decem circiter dies celebrauimus Domini Christi pium Ascensum. Dominicæ Resurrectionis Quinquagesimus hodie dies eluxit, in quo die Spiritus Dei flammata charitate radiauit. Patriarchæ omnes, & Prophetæ solemnitatem istorum festorum dierum sancta veneratione deputabant; sed istum diem præ omnibus solemniter celebrabant. In isto numero quinquagenæ supputationis multa sunt mysteria sanctitatis; qui annus vocatur Remissionis, propinans seruis munera libertatis.\*

\* Hic inducitur Tobias ad festum ascendens, sed sensus adeo corrupto, ut difficulter intelligas.

AR. 2.

Paulus beatus festinabat istum diem Hierosolymis celebrare, quem sciebat præ omnibus diebus Sacramentis mirificis eminere. In isto die, tunc dictis iam temporibus, in Monte Syna Moyse legem accepit, & madata Dei Populo propalauit. Ibi Deus in montem descendit; hic Spiritus sanctus igneis linguis demonstratus aduenit. Ibi tonitrua, & voces; hic flammati linguis varijs emicant Piscatores, sicut modò diuina pagina loquebatur: *Cùm comple-*  
*rentur,*



*ventur*, inquit, *dies Pentecostes, &c.* Quàm pulchra est, Fratres, charitatis coniunctio, quæ paratum cor semper exhibet Deo! Inuenit eos cōcordia charitatis, & collustrauit eos immundans Diuinitas Deitatis. Aduenit Ignis diuinus, non comburens, sed illuminans; non consumens, sed lucens. Inuenit cordium receptacula munda, & tribuit gratis charismatum dona. Vidit Sanctorum Vasorum purissimum sinum, & vinum mittere dignatus est nouum. Coeperunt vasa eorum vinum bulliendo ructare, & linguis omnium gentium resonare. At quomodo non cunctarum nationum haberent notitiam linguarum qui in sese susceperunt sancti Spiritus mysterium, & ignis gratiæ Sacramentum; dum multi de tam magno arcano mirarentur. Alij deridentes dicebant; *Quia musto repleti sunt.* Bene quidem, nescientes, dicebant: quia mustum, ebulliendo, omnes sordes proijcit foris, vt & odorem custodiat, & suauitatem abscondat. Vt res noui vinum nouum susceperunt, vt & vinum illæsum reseruarent, & ipsi in nouitate sancti Spiritus ambularent. De isto Spiritu sancto Propheta dicebat: *Emitte Spiritum tuum,* *Psal 103.*  
*& creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Renouata est verè terræ facies; innouata in meliori, quando lingua eucharis laudes decantauit potentiæ cœlestis, & melos insonuit Deitatis. De isto Spiritu sancto idem Propheta dixit: *Verbo Domini Cœli firmati sunt,* *Psal. 32.*  
*& Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* Igniuit Cœlos, qui fecerat Cœlos: misit flammam diuinam, & præparauit ad cantandum organa sua. Ergo, Fratres, istum diem cum timore Dei celebremus, quando indulgentiam accipere Spiritus sancti meruimus.



# HOMILIA

## IN NATALI

### S. IOANNIS BAPTISTÆ.

*Hic Sermo plura habet Augustini. Qui tamen eum ex dictis Sancti Doctoris concinnauit; in nonnullis diminutus est, & quemadmodum non discreuit, ita nec alij notam corrupti sensus à vero discernendi reliquit, ut patet lectoris iudicio, præsertim ex fine.*

Ex supradicto Cod. m. s. Bibliothecæ Barberinæ.



**I**MPERATOR Coeli, & Terræ, qui nos fuit visitare dignatus, Prophetarum oraculis olim est prædicatus: Ab ipso quippè exordio Mundi prædicatus est nobis Aduentus Domini Saluatoris: Non enim potuit venire Verbum in Terram sine voce Præconis; ut dixerunt Prophetæ, qui venturum Dominum Christum nuntiauerunt in carnem. Sanctus verò Ioannes, cuius hodie celebrandus Natalis illuxit, non solum Verbum prophetauit, sed cæteris demonstrauit: Meritò inter cæteros Prophetas maior appellatur. Qui non solum prædicauit, & monstrauit, sed etiam baptizauit. Maior Ioannes Baptista dictus est; ut tamen non sit discipulus supra Magistrum, neque seruus super Dominum: *In natis*, inquit, *mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista*. Mulierum, dicit: Nam qui ex Virgine natus, Conditor & Rector Mundi est, & Dominus . . . . .  
Missus est Angelus in Templum ad Zachariam, qui suscepturum eum filium in senectute nunciauit:  
Vir-

*Matth. xi.*



Virgini etiam Mariæ Angelus nuncius fuit: Sed Maria credidit, Zacharias diffidit; Et qui diffidit, silentio condemnatur; qui credit, laudibus honoratur . . . . .

. . . . . O Beata Mater, quæ talem portauit natum, qui Dei Filium præcurrens nunciauit, atque baptizauit. Caruit Elisabeth sterilitatis opprobrio, quæ genuit filium de Cælo promissum, qui mundi diuitias contemnens, cælestia regna quæsiuit: Ut præiret Verbum in virtute, & spiritu Eliæ, adhuc in utero positus, Matris Domini adesse præsentiam cognouit; Venientis testis est fidelis, Scriptura dicente: *Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans præ gaudio in utero meo.* Ipse mihi demonstraui, quia tu es Mater Domini mei, quæ venisti ad me. Ante, mihi magister factus est quàm filius: Ante, me ipse docuit, quàm ego eum lactarem: Nondum scit pulsare vbera mea, & nouit instruere conscientiam meam. Cælum, & terram nondum vidit, & intra viscera mea Deum Cæli, ac terræ cognouit. Qualis est iste nuncius, qui de occultis cognoscat Dominum? In occultis loquitur mysterium, nunciat miraculum. Vnde, inquit, mihi, vt veniat ad me Mater Domini mei? *Vnde hoc, inquit, mihi?* Ipse enim Deus, ego homo: Ille Dominus, ego autem seruus: ille Creator, ego creatura: ipse me plasmauit intra viscera, qui suæ Matris impleuit viscera. *Vnde hoc, inquit, mihi?* Nulla sunt merita, & præcedunt mihi diuina beneficia. Duæ inuictæ virtutis sunt matres, sterilis, & Virgo: duæ naues oneratæ de Cælo: Vna fert promissum de viro, alia portat Verbum ex Deo: Vna præmisit præconem, alia tulit iudicem: Vna lucerna illuminatur, alia Sole. Virgo portat Sponsum, sterilis fert

[Luc. 2.]



amicum. Nam, & temporibus distinctis paruerunt certissima signa Sanctitatis. Ioannes nascitur, die deficiente; Dominus nascitur, die crescente; vt caro deficiat, Spiritus conualescat. Oportet ergo, Fratres charissimi, in tantis mirabilibus gaudentes, vt credamus ei de Adam facere, & foecundam reddere sterilem, qui matris seruauit pudorem, assumpsit nomen floris, non amisit candorem, pudorem seruauit Virginis, mysterij lumen exhibuit. Qui seipsum tradidit pro nobis, praestet etiam & prospera nobis. Qui viuus, &c.

---

**H**actenus Lector vidisti, qua manu in his Sermonibus edendis versati simus (licet nonnullos alios tempori seruietes omiserimus opportunius edituri) Leui sane, vt tuo iudicio vteremur: nolimus seuerius agere, ne nimium ageremus, vt fortasse fecerunt ij, qui & Doctorum Louaniensium & Parisiensium censuram iterum ad tribunal reuocarunt, & multa in illis ipsis eliminantes, sententias quoque subinde reiecerunt, quasi illi suis partibus non respondissent.





# Loca Sacrae Scripturae in hisce Sermonibus explicata.

- Psal. 18.6. **T** Anquam sponsus procedens de thalamo suo. fol. 33
- Psal. 22.1. Dominus pascit me, & nihil mihi deerit. 39
- Psal. 28.3. Vox Domini super aquas; Dominus maiestatis intonuit. Vox Domini confringentis cedros, &c. usque in fin. 38. 39
- Psal. 29.12. Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & praecinxisti me latitia. 19
- Psal. 32.6. Verbo Domini Caeli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis virtus eorum. 41
- Psal. 59.5. Potastinos vino compunctionis, & poculus tuus inebrians quam praeclarus est. 35
- Psal. 113.3. Iordanis conuersus est retrorsum. 38
- Psal. 121.1. Latati sumus in his, quae dicta sunt nobis: In Domum Domini ibimus. 19
- Psal. 125.5. Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. 11
- Psal. 132.1. Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in uinum. 11
- Prou. 9.2. Parauit mensam suam, miscuit vinum suum in cratere. 34
- Cant. 5.10. Frater meus candidus, & rubicundus. 2
- Isai. 58.6.7. Hoc est ieiunium, quod elegi, dicit Dominus: Frange esurienti panem tuum; & egenum, ac sine tecto induc in domum tuam. Si uideris nudum, operi eum, &c. 27
- Habac. 3.4. Corruerunt in manibus eius: ibi abscondit fortitudinem suam. 38
- Matth. 3.15. Si modo: sic enim oportet nos adimplere omnem iustitiam. 38
17. Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. 37
- Matth. 7.12. Omnia quaecumque uultis ut faciant uobis homines, ita & uos facite illis similiter. 30
- Matth.



- Matth. 11. 11. *In natis mulierum nō surrexit maior Ioanne Baptista.* 42
- Matth. 25. 35. *Hospes fui, & collegistis me, &c.*  
42. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare: hospes fui, & non accepistis me.*  
*Discedite à me maledicti, &c.* 27
- Luc. 2. 14. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* 26
- Luc. 14. 26. *Qui reliquerit patrem, aut matrem, uxorem, & filios, & omnia quæ possidet, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 20
- Ioan. 21. *Die tertia nuptiæ fiebant.* 33  
10. *Omnis homo primùm bonum vinum ponit; & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu verò seruasti vinum bonum usque nunc.* 34
- Ioan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* 2
1. Cor. 2. 9. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, quod præparauit Deus diligentibus se.* 35
2. Cor. 5. 7. *Vetera transterunt: ecce facta sunt noua.* 35
- Hebr. 11. 16. *Propterea non confunditur de his Deus vocari Deus eorum.* 2
- Iac. 5. 1. *Agite nunc diuites; plorate ululantes in miserijs, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comestæ sunt. Aurum & argentum vestrum eruginauit, &c.* 28
- Apoc. 7. 9. *Vidi, & ecce multitudo quæ non numerum arenæ, quam dinumerare nemo potest, vel poterat, ex omni populo, & tribubus, & linguis, vestiti omnes candidas vestes, & palmæ in manibus eorum, &c.* 1  
14. *Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni.*



# INDEX RERVM.

- A** Qua in vinum versa in nuptijs Canæ Galileæ, quid significet. fol. 34
- S. Augustinus Magistri Gratia nomen retulit. vj.
- Barberina Bibliotheca reconditis scriptorum monumentis instructissima. xj.
- Bulla Gregorij Papæ Noni de martyrio B. Ecclesiæ S. Angeli in Foro Piscium Canonici. 15
- Candida salutis, idem, ac Gloria salutis. 4
- Christiani quare dicantur in petra positi. 22
- Christus in baptismo à Spiritu Sancto demonstratus, & quare. 37
- Confessio in Ecclesijs quinam locus dicatur. 24  
Aliquando appellatur Martyrium ibid.
- Confessores, quandoque Designati Martyres appellantur, quandoque Martyres simpliciter. 23
- Corona inuenta antiquitus pro refrigerio capitis. 23
- Deus non deserit, si non deseratur. 22
- Ecclesia S. Angeli in Foro Piscium, Collegiata vsque ab anno 1217. fol. 15. Canonicum habuit martyrio coronatum. 16
- Eleemosyna quomodo facienda. 26. 27. 29. 30. 31.
- Elisabeth colloquium cum B. Virgine. 43
- Hydriæ nuptiarum in Cana Galileæ, sex mundi ætates significant. 33
- Ieiunium qui seruare non potest, quid agere debeat 25. 26. 32. sine eleemosyna est lucerna sine oleo. 28. 31. sine misericordia, simulacrum est famis. 32
- Inscriptiones quatuor sepulchrales Martyrum. 7. 8
- S. Io. Baptista quare inter cæteros Prophetas Maior appellatus 42. Cur natus die deficiente. 44
- Isaias Propheta Martyr laudatur 12. Serra lignea dissectus 18
- Machabei fratres, laudati. 11. Quale martyrium subierint. 14. Eorum mater varijs nominibus appellata. ibid.
- Martyres cur dicantur Massa candida 1. 3. 4. Eorum solennitates quomodo olim celebrabantur, 9. 21. Quare dicantur spicæ



|   |       |
|---|-------|
| Spicæ 11. 13. Item Confessores.   | 23    |
| Martyres Cæsaraugustani, dicti Massa candida. Eorum mentio in Martyrol. Romano. Quo tempore passi fuerint.  | 5.6   |
| Martyres Carthaginenses à S. Augustino appellati Massa candida 3. Et Massa candida Vticensis 5. De ijs memoria in Romano Martyrologio 4. Quo tempore sit credibile, eos subiisse martyrium. | 5     |
| Massa candida appellatur multitudo Martyrum. 1.3. Est antiqua nomenclatura.   | 4     |
| Metretæ hydriarum in nuptijs Canæ Galileæ.  | 33    |
| Mulieres quandoque appellatæ Confessores.   | 23    |
| Nuptiæ in Cana Galileæ cur factæ die tertia.  | 33    |
| Et quomodo tertia dies intelligatur.  | 36    |
| Palma significat victoriam 1.7. Est symbolum Iusti.   | 7     |
| Palmae in Martyribus quare dicantur virentes.   | 6     |
| S. Paulus Apostolus assimilatus Architricino nuptiarum in Cana Galileæ.   | 35    |
| Pauperis manus, gazophylacium est Christi.  | 29.32 |
| Pueri in Sacra Scriptura vocantur intimi serui.   | 14    |
| Tres Pueri in fornace positi, aliquoties vocantur viri.   | 14    |
| Regnū cœlorū nulli clausum, nisi semet excludenti.  | 20.22 |
| Saccus pœnitentiæ appellatur corpus nostrum.  | 19.21 |
| Sanguis Christi lauat, non maculat 2.8. Quare dicatur caruca.   | 13.18 |
| Sepulcra Martyrum, Palmarum Insignibus decorata.  | 7     |
| Simon Vuerlinus postremus omnium, scripta S. Augustini censoriè rimatus est.  | vij.  |
| Solennitates Ethnicorum permultæ, quare ab Ecclesia in Christianorum solennitates conuersæ.   | 10    |
| Spicæ vocabulo apud Sanctos Patres non solum Martyres, sed totum genus humanum significatur.  | 13    |
| S. Stephanus laudatur.  | 12    |
| Vestis candida significat innocentiam.  | 1     |
| Vinum deficiens in nuptijs Canæ Galileæ, & aliud ex aqua factum, quid significant.  | 34.35 |
| Voces Angelorum, dictæ à S. Augustino quasi falces gaudiorum. 12. & quare.  | 17    |

L A V S D E O.







JHs



AYUNTAMIENTO  
DE MURCIA  
ARCHIVO

EST<sup>E</sup> ..... 11

TAB<sup>A</sup> ..... A

N.<sup>o</sup> ..... 2